





JOHANNIS BOTERI

LIBRI TRES

DE

ORIGINE VRBI-  
VM EARVM EXCELLEN-  
TIA ET AVGENDI RA-  
TIONE

*QUIBUS ACCESSERVNT*

HIPPOLYTI A COLLIBVS  
INCREMENTA VRBIVM

SIVE

DE

CAVSIS MAGNITVDI-  
NIS VRBIVM

*LIBER VNVS*

Cura

L. G. L. H.



*HELMESTADII,*

Typis & Sumtibus JOHANNIS HEITMULLERI

Anno cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> cLXV.

THE  
WILLIAM R. PERKINS  
LIBRARY  
OF  
DUKE UNIVERSITY



Rare Books



# LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

L. G. L. H.

**T**obannis Boteri *Relationes de Rebus publicis* superiori anno hic recusas non omnino displicuisse viris bene doctis ex eo fundamento colligo, quod reliqua laudati viri opuscula rursus lucem adspicere optarint. Eorum igitur desiderio satisfacturus Tibi, Lector Benevole, offero *Iohannis Boteri libros de origine urbium, earum excellentia & augendi ratione*: quibus ceu comitem adjeci *Hippolyti à Collibus* librum *de causis magnitudinis urbium*, ut una eademq; opera hos de urbibus scriptores, si tibi ita visum foret, posses evolvere. Quod ad *Boteri* librum spectat, licet exstet Versio Germanica Argentorati anno superioris seculi nonagesimo sexto excusa, certas tamen ob causas Latinam *Georgij Draudij* versionem, quæ Vrsellis secundo huius seculi anno prodiit, ex Teutonica adornatam sum secutus. Ne quid tamen dissimulem, scias velim *Draudium* plurimam textui inseruisse: veniam mihi dabis, Lector, si dixerò illū nonnulla parum aut nihil ad rem facientia de suo addidisse; hoc tantum peto, ut, ni aliter visum Tibi fuerit, conferas Germanicam versionem cum Latina & tuo maturo iudicio utaris. De stylo audi ipsum: *Nec vereor, si verbum aliquod interdum barbarum aut peregrinum posuero, quod tamen auctoris sententiam explicet, quin ea res apud æquos iudices mihi fraudi sit futura; in quibusdam enim ad-*

modum difficile fuit rueri latini sermonis elegantiam, proinde usque adeo rigidis latinitatis leges hanc mihi imposui, animiq; doctoris sensa clare licet impolite potius quam obscure & eleganter expromere malui. Ipse quid sentiat de se suoque labore docet initium ejusdem epistola: *De me deque meis ut sum tenuis, ita nunquam quisquam adeo tenuiter sentiet, quin infra censuram eius ego me longe demiserim & poni in aliquo saltim numero satis habeam.* Tu igitur, Lector, eense, judica. Hippolyto à Collibus autem manum ad-movens sustuli quamplurima ὀψάματα typographica; juvat unum atque alterum adducere; reliqua (si quando utramque editionem conferre Tibi non fuerit molestum) ipse me non monente videre poteris. Pagina tertia editionis Lubecensis habetur hoc Italorum proverbium ita:

*Chi miol pruovar l' inferno  
La state in puglia in Abruzzo il verno.*

Quis sensus? ni aliter Tibi visum, sic velim legas:

*Chi vuol provar l' inferno  
La state in Puglia, in Abruzzo il verno.*

Sententia igitur hæc erit: Qui vult probare æstum inferni, proficiscatur æstate in Apuliam & hyeme in Abruzum. Pagina trigesima prima laudat hæc Tertulliani verba: (*Spat-  
sa populi omnium rerum per omnes dies singula &c.*; quæ tamen sunt Suetonii & petita ex ipsius Nerone. Cæterum si quæ forsitan in ipsis libris inveniuntur, quæ tibi non arrident, per me dissentias licet & afferas meliora Vale & fave. Helme stadii XIII, Cal. Aprilis. Anno M DC LXV.



INDEX CAPITUM  
LIBRORUM JOH. BOTERI  
DE VRBIBVS.

LIBRI PRIMI.

<b>Q</b> uid civitas, & quæ magna dicatur & quibus rebus mortæ homines primum cohabitare cæperint. CAP. I.	
De ijs, qui ad virum divina mentis acie atque excelsio animo præditos confluerunt, & civitates at- que oppida extruxerunt. II.	
De ijs, qui ad faciilius propulsandas iniurias laræ in eundem locum conferunt. III.	
Quomodo Romani urbem Romam de vastatione finiti- marum urbium auxerint. IV.	
Nonnullos fuisse, qui alienarum urbium incolas suis adsciverint, narratur. V.	
De his, qui voluptatis gratia societatem habitandi contrahunt. VI.	
De utilitate, propter quam aliquando homines in u- num locum coeunt. VII.	
De locorum situs aptitudine. VIII.	
De fecunditate soli. IX.	
De apta advehendi de portandique opportunitate. X.	

LIBRI SECUNDI.


**Q**uarum rerum adminiculis effectum sit, locum aliquem inhabitari frequentius, & qualiter hac in re sese gesserint Romani.

	CAP. I.
De coloniis Romanorum.	II.
De religione fideique negotio.	III.
De studiis & scholis.	IV.
De loco Tribunalis.	V.
De eruditione.	VI.
De privilegiis.	VII.
Certa commercia sunt tractanda, neque temere abjicienda.	II X.
De jurisdictionis loco.	IX.
De nobilium sede & habitationibus.	X.
De sede principis.	XI.

LIBRI TERTII.

**V**trum expediat civitati, paucos an vero multos habere cives.

	CAP. I.
Quid causa sit, quod urbes floris sui maturitatem affecta raro maius sumant augmentum, imo saepius decrescant.	II.
Quibus adminiculis parta dignitas & magnitudo conservetur.	III.







JOANNIS BOTERI  
DE VRBIVM ORIGINE,  
MAGNITVDINE ET SPLENDORE,  
SVCCINCTA ET ABSOLVTA  
A PODIXIS.

LIBER PRIMVS.

CAPUT I.

*Quid civitas, & que magna dicatur, & quibus rebus  
moti homines primum cohabitare cœperint.*

**P**ER Civitatem hoc loco intelligimus, civium multitudine ideo collectam, ut vitam feliciter & beate transigant, cuique propòsita sit tanquam finis, rerum omnium satis magna abundantia: cujus & origo ad vivendum, & institutio ad bene vivendum refertur, uti Arist. I. Polit. definit. Congregantur enim homines propter acquirenda necessaria, vicissitudinaria inter se acquisitione. Nam bene vivere volentibus plura exiguntur, quæ tamen per homines unius ordinis procurari omnia non possunt. Cumque sex potissimum, juxta Aristotelem, valde necessaria ad omnem civitatem requirantur, quæ nominatim sunt, alimonia, artificia, arma, pecuniæ, sacra, judicatio. Colligitur, quod in urbe necessario requirantur agricolæ, artifices, milites, opulenti, sacerdotes & iudices, ut Sesostris rex Aegypti primusque auctor huius partitionis olim præclare docuit. Cibi comparatio ad agricolas & pastores, instru-

mentorum confectio ad artifices, armorum usus ad milites;  
 divitiarum suppeditatio ad locupletes, sacrorum procura-  
 tio ad sacerdotes solum, iudicatio & ad tribuales iudices,  
 & ad curiales senatores consultoresque pertinet; nam con-  
 sultare est de rebus honestis & utilibus iudicare: hæc, in-  
 quam, omnia sunt adeo necessaria, ut sine illis civitas nullo  
 modo constare aut florere possit. Nam sine victu & ali-  
 mento cives non vivunt, sine instrumentis artes non exer-  
 centur, sine armis nec contumaces & seditiosi in ordinem  
 coguntur, nec hostium impetus & iniuria propulsatur; sine  
 vi pecuniæ nec splendor domesticus, nec decus urbis, nec  
 subsidium rei militaris quaritur; sine sacerdotio nulla re-  
 ligio, sine religione nullus Dei timor, sine timore Dei nul-  
 la iusta actio, nullus probe vivendi ordo in civitate manet:  
 quid multis? Sine iudicio & iudice, tribunalia, leges, nec  
 non ipsa iustitia silent, omniaque male succedunt & perva-  
 tuntur omnia. Unde recte Isocrates, Civitatis, inquit, fel-  
 citas non magnificis murorum structuris, neq; civium nu-  
 merosa multitudo vel quæri vel contineri potest, sed sa-  
 pientibus ac moderatis Reipubl. gubernantibus. Atque ea  
 demum, ut idem Isocrates de Pace inquit, civitas felix no-  
 minanda est, non quæ ex promiscua hominum multitudine  
 multos cives temere colligit, sed quæ antiquissimas &  
 primas familias maxime conservare studet. Hi etiam viri  
 in præclaris habendi sunt, non qui potiti imperiis sævitiam  
 in cives exercent, aut majores opes ac potentiam, quam  
 par & æquum est, habent; sed qui maximis honoribus di-  
 gni sunt, & illis tamen contenti vivunt, qui populi volun-  
 tate ipsis contigerunt. Nam tali auctoritate nemo sive pri-  
 vatus, sive magistratus, neque honestiorem, neque tutio-  
 rem, neque pretii majoris aut magis expectandam suscipere  
 queat.

queat. Atque hi ordines, quos diximus, diversi, seu communicationes officiorum multiplices, quæ nihil aliud sunt quam pluralitas & distinctio partium civitatis, ad conservationem vitæ factæ sunt. Habent enim humanæ res se invicem ut catenæ circuli, qui mutuo amplexu hærent, seque invicem sequuntur: quod si unum ex eis, quemcunque tandem attrahas, tota catena cum suo principio consequetur: ita etiam quicquid in vitæ negotiis tibi sumas, reliqua necessario sequi ordine continuo succedentia deprehendes. Verbi gratia, si quis agriculturæ studeat, annon oportet prius habere artem fabricorum lignariorum, & ante illam ærariariorum? quam rursus metalla fodientium ars præcedat opus est? Item qui fodinis vacant, ruri ut degere possint, corpore tegantur necesse est, ad quod textores ac domus strutores requiruntur. Similiter & alia omnia si quæras & scruteris, inter se connecti reperies.

Porro, magnitudinem civitatum hic non eam, quæ spatioso moenium ambitu censetur: sed eam, quæ à numero & præstantia inhabitantium civium denominatur, intelligo. Id quod hoc loco commonefaciendum putavi, hæc enim ignoratio Carthaginensibus olim maximæ fraudi fuit. Nam cum in senatu Romanorum de Carthagine excindenda decerneretur, pervulgata fama, Carthaginenses legatos Romam miserunt, ne urbem rerum ante gestarum gloria clarissimam, ac urbis ipsius Romæ decus, moenimentumque victoriarum illustrium delerent. Nihilominus redi multumque in senatu agitata, decretum est, ad imperii Romani salutem deleri Carthaginem oportere, tum propter loci opportunitatem, tum etiam propter Pœnorum perfidiam, qui jam Romanorum socios bello lacessiverant, & finitimos populos latenter ad defectionem invitabant.

Posteaquam ita decretum esset, legati Carthaginiensium in senatum venire jubentur; quibus responsum est à Consule, ut in fide senatus populique Romani permanerent, obsidibus trecentis ac navibus populo Romano datis; civitatem Carthaginiensium salvam fore, jura, privilegia, immunitates easdem habituros, quibus antea semper usi fuissent. Legati accepto responso domum lati redeunt. Interea Scipio Africanus Junior accepta classe Carthaginem mature proficisci jubetur, & urbem ferro flammaque delere, salvis civibus ac rebus omnibus, quas ex urbe exportare possent. Scipio Censorinum legatum mittit; qui posteaquam obsides una cum navibus Carthaginiensium recepisset, jussit populum universum Carthaginensem ex urbe excedere: sic tamen, ut quæcunque vellet, exportare, urbemque à portu remotiorem condere liceret. Carthaginienses imperio duceis perterriti, fidem senatus populique Romani appellant; quibus responsum est, populum Romanum semper fidem coluisse, & quæcunque legatis eorum promissa essent, præstitisse; civitatem vero mœnibus urbis minime contineri. Ita Carthaginienses verborum ambiguitate decepti urbem rotius Africa pulcherrimam ardere, & solo æquari viderunt. Ita sæpissime legati juris fecialis ac legum imperiti, in pacis actionibus fœderibusque feriendis gravissime peccant.

Cæterum variæ semper fuerunt causæ, quibus permoti homines societatem ac cohabitationem mutuam iniierunt: Cum enim humanæ societatis ratio ita comparata sit, ut homines & ordine & vitæ studio dispares sint atque dissimiles. Alii enim sapientia & æquitate præstant, divinaque mentis acie & excelsò, singulari sapientia & industria prædato animo donati sunt, quo quid universitati expediat & videre

videre prudenter & perficere constantèr possunt. Alii vero non tanta virtute excellunt, alacritate tamen & invicto animi robore firmati sunt, aut ad arma tractanda, communesque injurias propellendas, aut ad eas artes persequendas, quibus in rebus magnis Reipubl. usui esse possunt. Alii locorum amœnitate affecti sociantur ac sedulo terram colunt. Alii denique fabrili artificio aliquid faciunt, variave tractant commercia earum rerum, quæ ad communem vitam cultumve pertinent. Sic enim divino consilio effectum est, ut dum pro se quisque cæteris auxilium fert, & vicissim aliorum artibus atque facultatibus seipsum tuetur, jus illud humanæ societatis & coalescat & sanctum permaneat. De quibus omnibus sigillatim in sequentibus agemus.

## CAPUT II.

*De ijs, qui ad viros divina mentis acie atque excelsò animo praditos confluerunt, & civitates atque oppida extruxerunt.*

**C**Ain absque omni dubio primus civitates, oppida atque villas extruere coepit. Quanquam de hac re Poeta, quos etiam Cicero sequitur, suos corymbos intexant fabulis, in hanc sententiam scribentes: Olim genus humanum in montibus atque sylvis erat dissipatum, cum nullis esset civilibus institutis aut domesticis moribus excultum. Excelluit autem maxime tunc unus & alter eorum, quos natura finxerat ingenio & prudentia præstantes, qui dispersam illam multitudinem unum in locum congregavit & ex immani agrestique vita ad humanitatem & honestos mores excoluit. Id quod homines doctissimi fictis fabulis memoria prodiderunt: Orphei cantu sylvas feraeque omnes unum in locum confluisse, voluptate illa eximia commotas. Sic etiam traditur Amphion, cantus sua vitate lapides impulisse,

se, quo vellet, unde vellet, deduxisse: quo significarunt, homines illos agrestes atque feros, qui vel ingenii stupore, vel immanitate morum, lapidum atque ferarum instar haberent, paucorum ingenio fuisse moribus humanis & civilibus institutos. Hoc opere Theseus, qui primus Athenienses per pagos dispersos in unum locum compulit, & legibus ac institutis devinxit, est immortalem gloriam consecutus. Ut nihil interim dicam de illis, qui Theseo longe vetustiores extiterunt, à quibus civitates fuerunt initio conditæ & constitutæ. Inde igitur cœperunt homines intelligere, quantum generosus animus & excelsus humilibus anteiret. Tantaque extitit virtutis admiratio, ut quamdiu in vita manebant ij, à quibus beneficium illud acceperant, omnes illis sui regendi potestatem traderent: mortuos vero diuinis honoribus afficerent: eorumque liberos omni caritate amplectendos statuerent. Primum movebat homines recens memoria principum, à quibus tam multis obstructi fuerant beneficiis, eorumque posteritati gratiam referendam esse putabant. Deinde ubi experientia didicerunt, inesse in liberis paternam effigiem, non tantum corporis lineamentis, quantum animi indole evidenter expressam: jam non solum parentum memoria, sed etiam indolis admiratione provocati, gentem illam præcipue coluerunt, eique Reipubl. gubernacula libentissime tradiderunt. Fuit enim prisca illis hominibus maxime persuasum, virtutem paternam in posteritatem infundi, morumque præstantiam esse claræ gentis indicem: quod est ab Euripide sapientissime dictum:

*Egregia dignitatis indoles, nota*

*Insignis est nobis, generis amplissimi.*

Hæc autem opinio tantum valuit apud antiquos, ut qui  
 maximo

maximo loco natus esset, eundem continuo sperarent maxime fore virtutibus exornatum. Quod si cuiusquam virtus adeo esset admirabilis, ut extra communem hominum sortem posita & collocata videretur; is humana cuncta despicens, seque longe inferiora reputans, originem suam ad Deos auctores referebat. Hoc autem ut posset multitudinè persuaderi, non tantum imperitia atque superstitione, quibus illa rudis antiquitas obligata erat, quantum virtutis admiratio faciebat. Fiebat enim illis verisimile, divino semine susceptum esse, quem cernerent divinis virtutibus esse exornatum. Hinc illi prisca Heroes extiterunt, quibus Homerum illas referta est: inter quos nemo erat, qui non Deorum aliquem in suis gentilibus numeraret. Quæ opinio etiam effecit, ut Theseus, de quo ante diximus, Neptuni filius haberetur; Romulus item Martis. Alexander autem Magnus se multis post ætatibus Jovis filium dici concupivit: quod etiam de Scipione Africano existimatum est. Fuit enim de illo viro, rumore quodam vanissimo dissipatum, quod prius in Alexandro Magno vulgatum fuerat. Nempe, anguena immanem persæpe visum in matris cubiculo eumque hominum interventu repente ex omnium oculis elapsam, neque postea unquam comparuisse. Inde consecuta est opinio ejusmodi, anguis illius concubitu Scipionis matrem gravidam esse factam. Quis vero est tam ignarus omnium disciplinarum, ut ista vera esse in animum inducat. Verum istud ab ea opinione minime falsa natum est, quæ magnam virtutem & excelsum magnis & claris natalibus assignat. Hinc jam facile potest perspicui, quanto in honore fuerit apud prisca illos homines inclytum genus & excellens. Et merito quidem: Nam si quid in illa ætate extitit præclare gestum, dignumque memoria sempiterna, plurimum ab hoc ordi-

ne gestum est, quod satis est manifestum vetera scripta memoria repetenti. Quis neget Heraclidarum gentem ita magnitudine animi præstitisse, ut Pelopidarum potentiam copiis exiguis fregerit, & rebus Atticis in ultimum discrimen adductis sæpe lucem attulerit. Quid hic Perseidas referam? Quid Æacidarum res immortalitate dignissimas? Jam si te Athenas animo converteris, ut res memorabiles videas, quæ ab illa civitate gestæ sunt: omnes maxima ex parte vis debis, à viris maximo genere ortis, & majorum gloria concitatis editas esse. Ut enim reges præteream, quos singulari virtute fuisse constat, certe Clisthenes qui tyrannidis delenda princeps extitit, Miltiades, Cimon, Aristides, Pericles, & multi præterea, quos infinitum esset recensere, à quibus tam multa suscepta sunt facinora, tum contra Barbaros, tum etiam adversum Græcos, omnes isti ferme in amplissima familia nati sunt. Idem etiam apud Thebanos & Spartiatarum, & innumerabiles alias nationes accidisse comperies. Hæc vero omnia eo spectant, ut appareat, extitisse omni ætate viros quosdam egregios, ad quorum nutum & præscripta omnes suas actiones cæteri conformarunt.

In Brasilia hodie adhuc prisco illo ac ferino more vitant incolæ. Ibi enim tenebrosarum specuum inhospita receptacula inhabitant, quas vel arborum ramis aut strue lignorum, vel palmæ arboris frondibus ac foliis, ei regioni non ignotæ, ruditer contegunt, atque ita diversissimis maculis ab invicem segregati, dum occultis spelæis, feratim in morem degunt, in beluinos etiam mores ab incunabulis degenerant; quo fit, ut tam difficulter rudimenta Christianæ religionis admittant, oleumque fere ac opera in erudiendis ipsis tam in fidei negotio quam etiam in moribus perdat. Quamobrem Portugaleses ipsique adeo Jesuitæ eos  
 è spe.



è spelæis quasi protractos in unum cogunt, ac tum demum religione & moribus feliciter imbuunt, id quod antehac præstiterunt Pernambuco, Pyratiningæ, il Santo Salvatore, il Porto Securo aliisque locis pluribus. His annumerari possunt civitates à laudatissimis potentissimisque principibus extractæ, ad quas inhabitandas peregrinos undequaque populos adscivere. Sic Græci & Phœnices, Alexander Magnus aliique reges ac principes quam plurimas urbes de novo extruxerunt, certa que nomina indiderunt. Hinc illæ, Alexandria, Ptolemaides, Antiochia, Lyfimachia, Philippopolis, Demetriades, Casarea, Augusta, Sebastia, Agrippina, Manfredonia, & nostra ætate Cosmopolis & del Sole.

Cæterum post Alexandrum Magnum, qui ultra septuaginta urbes extruxit, rex Seleucus in extructione urbium nemini cedit, qui præterquam quod tres illas in honorem uxoris, Apamias, ac quinque in memoriam matris, Laodiceas, quin etiam quinque in sui ipsius monumentum ac memoriam Seleucias, dictas, præter has ultra triginta urbes magnificentissime extruxit.

## CAPUT III.

*De ijs, qui ad facilius propulsandis iniuriis lares  
in eundem locum conferunt.*

**I**n evitabili quandoque necessitate coguntur homines, modo vitæ ac fortunarum suarum cura eos tangit, a libi sedes suas figere, aliorumque auxiliis se munire, potissimum vero gliscèntibus tum multibus bellicis, è quibus plerunque damnum irrecuperabile, vitæque ac fortunarum pariter jactura, nisi mature declinetur, fere imminet.

Atque huc referuntur potissimum montium anfractus, paludosa sylvarum solitudines, insulæ quam minimum inaccessæ, quippe quæ certissimum afflictis præbent refugium.

Post univēſale illud orbis diluvium, tempore Noæ, cum timerent homines iterum periculum inundationis, ſolitarios recessus in montium fere cacuminibus petierunt, alii altiſſimas turres pyramidum inſtar extruxerunt, fore ſperantes, ut ſi qua denuo inundatio terram obrueret, ipſi periculum hac ratione effugerent. Cum autem alterius futuri diluvii metus, de quo fruſtra erant ſolliciti, ex ipſorum animis paulatim aboleretur, tum demum de cacuminibus montium in planitiem ſe conferre cœperunt, ubi ex ſingularum familiarum radicibus, quas Deus immortalis conſe-  
 verat, quaſi ſtirpes primum fuerunt propagatæ, quibus domicilia tecta que ſibi, ut ab injuria cœli ac ferarum animantium; tutiores eſſent, ædificare neceſſe fuit: & cum in eam multitudinem excreviſſent, ut eadem regione contineri non poſſent, quippe domiciliorum conjunctione, vicos; deinde vicorum continuatione pagos auxiſſent; alio proficiſci ac novas ſedes quaerere oportuit. Itaque locis ac regionibus, generiſque proximitate diſiuncti, cum nullis imperiis ac legibus tenerentur, uti quiſque vi ac robore cæteris præſtabat, ita finitimos de locis ac domiciliis depellere, aut fontis ac loci amœnitatem eripere, aut de paſcuis dejicere conabatur. Ea vis à valentioribus illata, fecit, ut imbecilliores loca natura tecta ac munita conquirerent; aut arte ac prudentia munirent, ut ſe, liberos, uxores, familiasque ſuas ab aliorum injuriis, foſſa, vallo, mœnibus denique tuerentur: inde oppida urbefq; conſtitutæ. Sic enim de rege Servio ſcribit Dionyſius, in locis montanis firmiſſimiſq; collibus perſugia quædam diſpoſuiſſe, quæ Græci pagos appellant, quo ſe agrefteſ ex agris per hoſtiles irruptiones reciperent. Sed ne mœnibus quidem hoſtium vis arceri poterat, quo minus iſ, qui ſe propugnaculis cinxerant, à potentioribus obſiderentur.

rentur. Fuit enim primum genus hominum rapinis, cadibus ac latrociniiis deditissimum, & cui nihil esset prius, quam grassari & occidere, aut imbecilliores servitute premere, ut verissime Plutarchus in Theseo, cum historia sacra, Genes. 6. congruenter scribit. Ac multis ante seculis Thucydides, historicorum, qui in Græcia floruerunt, longe clarissimus, Græciam universam, ait, paulo ante sua tempora potentiorum latrociniiis ac direptionibus infestam, nec propter latrocinia ullam in familiam contractam fuisse: sed qui terra marique obvios haberent, ab ijs sine contumelia quæri consuevissent: an latrocinium an piraticum exercerent? Nec tantum Plato ejusque discipulus Aristoteles latrocinium inter venationis genera posuerunt: sed etiam legibus Solonis (libro ultimo de Collegiis) latrocinandi causa societatem jure contrahi potuisse planum fit his verbis: ἐπὶ λείαν οἰχομένοι; quod Latinus interpres, cum absurdum ac falsum putaret, alio detorsit; nam quid aliud est, ἢ λείαν δίχασθαι, quam prædari? Quin & Cæsar sua adhuc ætate de Germanis scribens, Latrocinia, inquit, nullam habent infamiam, quæ extra fines cuiusque civitatis fiunt; atque ea juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicant.

Hæc igitur latrocinandi licentia homines ad amicitias & societates cœundas adegit: nam principio sodalitia contracta fuerunt ab ijs, qui quod ex eodem puteo seu Φρέατι, & aquam haurirent, Φράτορες seu fratres sunt appellati: inde quoque Φρατέλαι dictæ: aut qui ex eodem fonte, quem Doeres πύργον appellant; unde pagi dicti sunt: ut Latini quoque commissari dixerunt eos, qui in iisdem vicis, quos Græci κώμας vocant, convictu communi fruebantur, ut Festus scribit. Ex quibus perspicitur, societates hominum inter ipsos vitæ tutius commodiusque degendæ fuisse quæsitæ: easque

primum ab eo; qui virum inter & uxorem intercessit, amore profectas. Inde fluxissè mutuam parentum ac liberorum pietatem; tum fratrum ac sororum inter ipsos caritatem; post etiam proximorum & agnatorum amicitiam; ac postremo affinium benevolentiam;

Atque hi cum nullo certo more traducerent, proindeque qui imbecilliores essent affligerentur, latrociniaque atque cædes infinitæ passim fierent, essetque adeo omnis vita innumeris malis circumventa: omnes ii, qui iniuriam acceperunt graviolem, confugiebant ad præsidium alicujus præstantis ingenio viri, in quo lumen æquitatis elucere prospexerant. Is cum miseros & supplices in suam fidem recepisset, studiumque suum extinguendi latrocinii, reprimendæque cædis & injuriæ vindicandæ declarasset, & potentes cum tenuioribus pari jure retinisset: eveniebat, ut omnes, qui otium & securitatem amabant, omnia vitæ præsidia in ejus virtute & imperio constituta putarent, quem animadvertiebant esse justitiæ laude florentissimum. Aut si id non daretur, in tutissima, quæ videbantur, asyla sese recipiebant.

Sic cum Mauri Hispaniam hostiliter invaderent, tandemque miseræ servituti crudeliter subigerent, ii, qui ex lamentabili illa strage evaserant, partim in deserta atque impervios montium recessus, qui sunt in Biscalia & Aragonia, secesserunt, partim in septem civitatum insulam (à septem Episcopis, qui sedem inibi cum suis fixerunt, ita dictam) trajecerunt.

Depopulatio illa immanissima, qua magnus Tamerlanes ubique populos crudelissime afflixit, Persas eorumque finitimos sedibus patriis (non secus ac fugatas aviculas) excedere coegit, inde alii in Taurum montem, alii in Antitaurum, alii in maris Caspii peninsulam aufugerunt. Atque  
uti

uti populi Istrici, cum Sclavi in Istriam irruptionem facerent, in Caprarias insulas solventes, Justinopolim inibi extruxerunt: eodem plane exemplo Galli, cum Longobardi Italiam hostiliter invaderent, eis Padum in loca palustria secessione facta, urbem Cremam construxerunt.

Etsi vero loca hæc; quæ jam diximus, ad versus hostium irruptiones natura satis sunt munita, cum tamen nec fecunditate soli, nec amœnitate, nec commerciorum frequentia præsent, nulli hæctenus extiterunt, qui novorum ædificiorum structura accessionem inibi facere concupiverint. Quod si vero loca illa, ad quæ rebus, ut supra, stantibus confugitur, non tantum sunt natura munita, verumetiam ad varios usus humanos accommodari possunt, facile incolis, divitiis atque domiciliis augentur & locupletantur.

Hoc modo plurimæ civitates versus Orientem in Barbaria sitæ, in quibus præcipue numerantur, Salonica & Rhodus, maxima incrementa sumere, ab eo nimirum tempore, quo Ferdinandus Hispaniæ, & Emanuel, Portugalliæ reges, Judæos regnis suis eiecerunt. Sunt vero etiam in Anglia hoc nostro ævo civitates non pauca, quæ ædificiorum & hominum numero intra paucos ab hinc annos mirifice creverunt, ab eo nimirum tempore, quo primum Belgæ eo cœperunt migrare, adeo; ut vel saltem Lovaniæ aliquot mille Belgarum familiæ numerentur.

Circa annum Christi nongentesimum, cum Saraceni Genuam omnemque circa regionem, prædis, incendiis atque rapinis devastarent, Pisa urbs propter confluentem eo fugientium multitudinem, incredibiliter crevit. Vnde vero? Urbs nempe est non tantum natura ac ratione situs munitissima, verumetiam præter soli fertilitatem in super variis commerciorum generibus commodissima.

Cum Attila impressione in Italiam facta, omnia devastaret ac crudelissime prosterneret, Longobardi maximo terrore concussi relictis sedibus in peninsulam maris Adriatici traiecerunt, ibique pro ratione loci oppida ac civitates, Exquilinum nempe, Heracleam, Palæstinam; Malamocco, constituta simul certa Reipublicæ administrandæ formæ extruebant. Cum vero postmodum à Pipino rege bello impeterentur, nec satis vitium ad retundendos hostium impetus sibi esse cernerent, sponte excefferunt; atque iuxta Rialtum orbem collecti, consilium de Venetiis extruendis inierunt, cœptum feliciter, feliciter continuarunt, ac felicissime finierunt oppidum illud Venetiarum nobilissimum & laudatissimum, universo orbi decantatum.

## CAPUT IV.

*Quomodo Romani urbem Romam devastatione finitimorum urbium adauxerint.*

**R**omani urbis suæ gloriæ avidissimi semper omnibus nervis in hoc incubuere, ut æternam posteris patriæ memoriæ relinquerent. Unde & prudentissime potentia sua usi referuntur. Nam, ut finitimos in urbem suam cogerent, aut tunc consilio inuito, rebellium oppida funditus evertere. Quò pacto Tullus Hostilius, Albam celeberrimam urbem vastavit. Tarquinius Priscus Cornicolo urbem divitiis omnibus abundantissimam exitio dedit. Servius Tullus Pometiam solo æquavit. Libertatis postea tempore Veios urbem post decennalem obsessionem fraude & astutiis non vi occupatam diruerunt.

Itaque privati urbibus, & domiciliis pulsi, proinde sedibus destituti propriis, ne omnino de salute periclitari cogerentur, Romam pro patria profecti incolere. Hoc modo exerevit Romana civitas, & tam opum quam civium copia

ecopia, inter omnes totius terrarum machinæ caput extulit  
urbes, quemadmodum Poeta canit.

## CAPUT V.

*Nonnullos fuisse, qui alienarum urbium incolas suis  
adsciverint, narratur.*

Idem ferme medium, paullo tamen mitius, in amplificanda  
urbis processu, observarunt ante dicti Romani in eo  
quod populum devictum suo imperio iam subiugatum vel  
universum in urbem receperunt, vel maiorem saltem par-  
tem intra moenia admiserunt. Sic à Romulo Ceninenses,  
Antennates, Crustumini in civitatem pertracti fuere. Nul-  
la autem gens civitatem Romanam adeo auxisse dicitur,  
quam Sabinorum. Quibus cum congressus Romulus, post  
longum ac diutinum bellum, pepigit fœdus cum ipsis hac  
conditione: ut Tatius Sabinorum rex cum populo univer-  
so urbem ingrederetur, & intra moenia urbis habitaret.  
Quam conditionem acceptans Tatius, Capitolium & col-  
lêm Quirinalem pro habitaculo regio elegit. Hanc secutus  
viam Ancus Martius, Latinos consimili exemplo, Polito-  
rio, Tellenâ & Ficana urbibus evocatos ad urbem associa-  
vit, montemque Aventinum attribuit.

Tamerlanes Magnus Sarmacadam urbem amplissi-  
mam mirifice & populis & aedificiis opibusque adauxit, dum  
opulentiores ex iis, quos diversis præliis devicerat, illuc fe-  
des suas figere adigebat. Quam rationem observantes Ot-  
tomanni, cum primum Constantinopoli potirentur, multa  
familiarum millia, ex devictis urbibus, earum potissimum,  
quæ in certis artificii insigniter excellerent, utpote Maho-  
metes II. Trebisunda, Selimus I. Cayro, Solymanus

è Tauris, alii aliunde oriundos eo  
transulerunt.

CAPUT

## CAPUT VI.

*De his, qui voluptatis gratia societatem habitandi contrahunt.*

**N**ON raro contigit, ut loci, cujusdam amœnitate allecti, vivendi conjunctionem inierint homines. Amœnitas autem illa vel per se ac naturali loco inest, vel arte comparata. Ad naturalem atque ingenitam amœnitatem accensentur: purus & incorruptus aër, jucundæ convalles, umbrosa nemora, idonei ad venandum tractus, amœna fontium furramina, flumina salubria, & si quæ sunt alia, quæ hominis naturam afficiunt & recreant: cuiusmodi præcipue visuntur Antiochiæ in Soria, Damasci, Bursiæ in Bythinia, Sivilæ in Hispania aliisque locis pluribus.

Ad artificialem locorum amœnitatem referuntur: plateæ ædesque artificiose extractæ, theatra, fornices, stadia palæstræ gladiatoriæ, fontes arte diducti, monumenta, picturæ, pontes aliaque huiusmodi, quæ arte potissimum constant, spectantiumque oculos ac mentes mire afficiunt. Sic Thesbin urbem, visendi artificiosissimi Cupidinis simulacri gratia quamplurimi undique adierunt. Samum propter templum ibi magnificentissime extractum viserunt innumera hominum caterva. Alexandria propter Pharos insulam turrimque, quæ ibi visebatur, arte atque opere insigniter extracta, passim frequentabatur. Memphin Ægyptiorum urbem Pyramides in summum celebritatis culmen crexerunt. Rhodon gratia visendæ ingentis solis statuæ, quæ Colossus dicebatur, excurrerunt innumeri. Eorum, qui Babylonem ierunt, contemplatum moenia à Semiramide extracta, vix putem iniri posse numerum. Si quando olim Romani se recreare vellent, Syracusas, Mitylenam, Smyrnam, Rhodum, Pergamum aliove, ubi saluberrima esset ac



set aeris constitutio cum amœnitate, quam & locorum natura & hominum inventa exhibebant, se receperunt. Atque ut paucis omnia dicam, quicquid visum ac reliquos hominum sensus afficit, adeoque omnia, in quibus hominum curiositas acquiescit, huc referenda veniunt.

Omniùm Europæ totius urbium populosissimæ hodie sunt Roma & Venetiæ. Etsi enim hodierna Roma ab antiqua illa, qualiter à Publio Victore & ab Hanufrio Panuino scriptis, exactissime demandata est, quæ ante annos aliquot in lucem missa erât, Clémentè VII. pontificatum tenente, quam maxime discrepet, atque ex admirandis ædificiis & structuris nihil hodie supersit, præter exiguas reliquias & fragmenta mutilata, ex quibus antiquæ urbis splendorem, magnificentiamque & profusos imperatorum principumque sumtus, opificum divina ingénia & industriam stupere & admirari possumus: certissimum tamen est, quicumque eam urbem diligenter & accurate lustraverit, solerti que indagatone notaverit omnia, quæ in ea servantur à viris antiquitatum studiosis, animadvertet fatèbiturque, nihil usquam gentiùm spectari, quod cum Roma possit merito conferri. Atque hæc omnia magis commendari debent, quod præclari illi patritij & cives nihil habeant domi suæ, quod non liberaliter peregrinis videndum permittant, tanta humanitate, tanta comitate, ut etiam credere velint ab eisdem beneficium recipere, quod in eos ultro conferunt. Quis obsecro unquam literatus exclusus est ab ædibus clarissimi illius patritij Romani Fulvij Ursini? quis unquam ab eo sine aliqua beneficentia dimissus est? quis unquam invisit Marium Delphinum, quin ab eo discesserit cum singulari fructu & delectatione? Omitto personas illas Ecclesiasticas, Cardinales, Archiepiscopos & sacerdotes illustriores, qui

propter dignitatum quibus funguntur amplitudinem, communicare colloquia non semper possunt cum hominibus privatis & peregrinis. Tanta enim in ijs est facilitas, ut neminem à suis adibus arceri patiantur, sed domesticis severe injungunt, ut amice & comites omnia communicent possidentibus, eosque in canacula, hortos secretioraque conclavia admittant, potissimum bonarum literarum studiosos, ut contemplentur, admirentur & notent quicquid spectatu dignum est: non solum marmora exquisita & pretiosa, vasa, statuas, tabulas, numismata & signa gemmis exsculpta, sed etiam ipsas bibliothecas exacte perlustrent, libros ex antiqua papyro, membrana, intestinis corticibusque confectos revolvant, ac sese contemplatione tam excellentium rerum, si fieri posset, expleant & satient. Quis vero est tam in Gallia, quam in Germania, qui ignoto fores suae domus a-pertas esse patiatur, vel illi videnda præbeat, quæ ornamenta possidet? Nemo sane, nisi sint aliqui viri docti, qui eruditione faciliores redditi sint, & erga peregrinos mansueti, quibus tamen non sine supercilio & morositate sese communicant nisi dignos hoc officio prius judicent. Et dum de hospitem dignitate dedignantur inquirere, indigne à se expellunt eos, quorum studio & curæ satisfacere esset consultius.

Cæterum quo de humanitate Romanorum ac facilitate in exhibendis, quam penes se habent, monumentis verius constat, referre huc libet Jacobi cujusdam Boissardi testimonium, quo sibi metipsi hujusmodi humanitatis officia Romæ exhibita fuisse prædicat: Memini, inquit, magnificentissimum illustrissimumque illum Antistitem Pium Rudolphum, Cardinalem Carpensẽ (qui, quo tempore Romæ eram, in Quirinali possidebat hortos amœnissimos, omni;

omnibusque antiquis marmoribus refertissimos ) singulare  
 humanitatis argumentum in me contulisse. Dum enim eo  
 venissem cum aliquot studiosis, ut admirandam palatii stru-  
 cturam, statuasque, columnas, obeliscos & aras antiquas vi-  
 derem, neque possem illa omnia tam brevi temporis spatio,  
 quod mihi concedebatur, describere ( nondum enim tanto  
 viro innotueram ) sociis relictis abdidi me inter viretorum  
 umbracula, latitans donec omnes horto exivissent. Clausis  
 tandem horti ostiis, reliquum diei, quod superfuit, impen-  
 di in delineatione priscaurum inscriptionum, actotam no-  
 ctem illic exigens sub arboribus, cum primum illuxit, ad o-  
 pus ceptum redij: cumque illic hærerem attentus in descri-  
 ptione cujusdam marmoris, Cardinalis suorum aulicorum  
 numero & comitatu stipatus, hortum ingressus est. Illi, cum  
 ex remotiore loco me fuissent intuiti, substiterunt attoniti:  
 nescientes, qua ratione omnibus insciis domesticis eo irre-  
 pissetem. Confestim ad me due accurrunt, qui sciscitaren-  
 tur, quomodo & quando eo venissem. Ego licet non me-  
 diocri formidine percellerer, composita tamen ad fiduci-  
 am fronte, mihi que nullius doli vel criminis conscius, ro-  
 gavi ut tantillum expectarent, donec absolvissem descripti-  
 onem alicujus monumenti, quod ceperam: qua ad finem  
 perducta, tanquam re bene gesta, ordine explicavi meam  
 historiam: ut vespere superioris diei in hortos essem exce-  
 ptus cum aliis peregrinis, à quibus postquam paulo longius,  
 quam par erat, secessissem, lecturus & designaturus quadam  
 antiqua scripta, illi me relicto discessissent: cumque paulo  
 post egredi conarer, omnia clausa me invenisse, coactumque  
 illic pernoctasse: Quod tamen absque ullo tædio mihi acci-  
 disse dicebam, capto & occupato in perlustratione tam ex-  
 cellentiam rerum, quæ in toto hortorum ambitu latissime

conspiciebantur. Illi cum risu ad Dominum regressi nar-  
 rarunt, quicquid mihi accidisset; tantumque absfuit, ut du-  
 rius exciperer. propter id factum, ut Cardinalis mei miser-  
 tus, quod absque cæna sub dio pernoctassem; iussit mihi  
 jentaculum præparari; ne nimia inedia mea valetudo offen-  
 deretur: summaque cum delectatione revolvio meas char-  
 tulas, laudavit industriam meam, & voluit ut deducerer in  
 ejus palatium, quod amplissimum habebat in urbe plana, ad  
 campum Martium: Permisit quoque ut omnia, quæ illic  
 essent, viderem; & pugillaribus ad id præparatis, quæcunq;  
 placerent, exciperem. Ego postea, ut gratus viderer erga  
 tam beneficum principem; exemplar omnium, quæ domi-  
 suæ mihi communicata erant, diligenter exaratum illi ob-  
 tuli libello uno comprehensum: quem non solum hilari  
 fronte excepit, sed donum dono compensans, numismata  
 antiqua mihi largitus est duo aurea, duodecim argentea, &  
 totidem athenæa, cum parva Apollinis ærea statua altero  
 brachio manca. Non absimilis humanitas mihi exhibita est  
 à clarissimo viro Maria Delphino. Ad eum enim eadem  
 hebdomada cum tertio deduxissem scholasticos aliquot  
 Germanos & Gallos (qui Patavio & Bononia simul vene-  
 rant Romam) ut ejus ædes omni antiquitatum ornameto  
 celeberrimas lustrarent: iterumque alii adventassent; me-  
 amq; operam flagitarent a micorum literis mihi commen-  
 dati; illis meum officium sine pudore non audebam recusa-  
 re, verebar interim gravis esse tanto viro, & illius facilitate  
 abuti. Ad eum igitur me festinus contuli, veniamque hu-  
 militer deprecatus, rogavi ut mihi hanc importunitatem  
 condonaret, coacto gratificari meis conterraneis: in quo-  
 rum præsentia petivi, ut ne mihi succenseret; quod toties  
 repetita reversione illius graviores occupationes interrump-  
 perem.

perem. Vir bonus & candidus meam formidinem joco excipiens: Quid ais, inquit, mi Boissarde? irane me durum & inhumanum existimasti, qui tibi officium hac in re recusarem, in qua beneficium mihi à te non exiguum tribuitur? An es nescius, tua opera Marii nomen extendi usque ad postremos septemtrionis terminos, quod alioqui coereretur intra Romanorum mœnium pomeria? nisi hospites isti viri nobiles & literati me inviserent, mea contemplarentur & admirarentur; domumque reversi, quæ apud me vidissent, enarrarent. Fac, mi Boissarde, ut veniant, neque quenquam à meis arceas foribus, quem potissimum virum bonum modestumque & studiosum antiquitatis agnoveris. Nemo certe est quem non libentissime excipiam, humanissimeque & humaniter tractatum dimittam. Hæc postquam dixisset, introductis in Musæum hospitibus, comiter videndos exhibuit stateres antiquos, & infinitum numismatum exquisitissimorum numerum; sardonychas, jaspides & gemmas singulari toreutate sculptas. Ostendit præterea nobis ingenri cippum marmoreum, qui olim, ut inscriptio prædebat, terminus erat vineæ Trajani imperatoris extra urbem. Hunc ut suo loco restitueret Gentilis Delphinus Marij pater, ingenti pretio vineam redinere conatus est, neque à possessore venditionem extorquere potuit. Marius post patris mortem eodem studio flagrans fundum duplici pecunia coemit, & cippum in antiquum locum transtulit. Hucusque Boissardus; quæ ideo hic memoro, ut ostendam, quantum humanitate & facilitate Romani superent cæteras quasunque nationes, dum hospites peregrinos tam prompte & comiter excipiunt.

Porro non pigebit huc referre, nec lectorem poenitebit cognoscere, quæ hodie adhuc memoratu ac visu digna

Romæ visuntur. Ac primum, ut ab ea parte incipiam, qua per Hetruriam, Romam itur, occurrit primo Porta Vaticana, qua Castello S. Angeli est contermina, juxta quam praeta Quintia, Tyberi & Vaticalis collibus ac Strozziarum vinea clausa. Eo se frequentissime Romana juvenus conferre solita est, deambulationis oblectationisque gratia. Voluptati enim præ cæteris omnibus hic locus tributus est. Quam autem ingressus in urbem patet, portam Æliam, quam Castelli vocant, prope se extollit ingens illa moles Adriani imperatoris, quam extra Vaticanam urbem extruxerat, ut in eo sepeliretur: & in eadem Antoninorum cineres recondenderentur. Hodie Castellum S. Angeli dicta, quod ut fama refert, angelus exerto gladio visus est urbem eo loco defendere: ideo nostro tempore ingens statua angeli marmorea in summitate molis reposita est, ut nomen arci confirmaret. Ab hac arce deambulacra secreta fornicato opere protendantur usque ad palatium Pontificum, quod in colle Vaticano structum est, vocantque Curritorium: per quod Pontifices urgente necessitate, dum obsiderentur, occulte se possent subducere, & tuta fuga ex palatio in hanc arcem se recipere.

Castello S. Angeli vicinus est pons Ælius, factus ab Ælio Adriano prope regionem Vaticanam: per quem in suum sepulcrum transitus esset facilius, ad funera eorum, qui in tam magnifica mole sepelirentur, procuranda. Hodie pons Castelli vocatur, per quem ex urbe in Burgum via protenditur ad palatium summorum Pontificum. Inde sub Ælio, medio Tyberi conspiciuntur è regione xenodochii S. Spiritus, ruina pontis triumphalis, qui olim triumphis sacer fuit. Imperatores enim de exteris nationibus & provinciis triumphantes, hoc ponte pompas solennes in Capitolium agebant.

Huic

Huic proximam est Burgum recte ducens ad palatium Pontificum; quo loco olim ante Alexandri II. tempora sylvata fuit, sive lucus Vaticanus; qui erat insignis sepulchrali pyramide Scipionis Africani. Nunc aliquot aedificiis illustribus atque diversis ornamentis, insignibus nempe palatiis conspicuum. Quorum illud, quod assurgit prope S. Catharinam; Cardinalis fuit Dandini: in eoque monstratur caput elegans Agrippinae matris Neronis pectore vestito: Hadriani Imp. & Antinoi Bithini juvenis formosissimi, quem Hadrianus in delitiis habebat atque alia insuper multa. Superius ad dextram est palatium Cardinalis Roberti Strozzi: ubi praeter infinita ornamenta notari digna ostenditur armamentarium splendidissimum, omni genere armorum exornatum; tam nostratum, quam exterarum nationum; maxime Indorum & Americorum: ut sunt elava & gladii lapidei & lignei, quibus etiam chalybs scinditur; diversa vestimenta; pilei, cassides, perizonia, periscelides, & balthei elypeique, ex plumis artificiosissime composita omnia, tantaque industria elaborata, ut sine admiratione nemo ea satis contemplari potest. Duo etiam ibi monstrantur Aleriones sive aves Paradisi, quas Apodes nominamus. Harum corpora sunt tenuia, quasi ex xylō vel bombice: plumis oblongis versicoloribus & quae colorem iridis caelestis referunt & mutant, dum aviculae corpus invertitur, nunc aurum, nunc purpuram viridemque Smaragdum, & Saphyri cyaneam representantes formam, vel eam gemmant, quam opalam vocamus. Sunt & alia in Burgo palatia, ut Campogiorum; ad dextram, & ex opposito Parisinum: utrumque picturis & tabulis elaboratissimis instructum. In domo Petri de Radicibus in eodem Burgo, praeter Bacchum integerrimum & tres Musas longis institis amictas, monstratur etiam

iam caput senis, quod dicunt esse Caroli Magni : sed quod longe dissimile est illi Caroli Magni effigiei, quæ in Prætorio demonstratur Norimbergæ.

Sinistram ibi plateæ partem prope partem S. Honufrii, Palatium Casianum occupat; ibi monstratur effigies Hippolytæ Amazonis, quam Michael Angelus Banarotus Florentinus, nostri seculi pictor, sculptor & architectus excellentissimus, mirifice laudat, utpote in qua summum videatur artificium & proportio perfectissima. Huic aræ sive corti adjacent amœnissimi & spatiosissimi horti, qui in quatuor aræas latissimas distincti sunt, ac singulæ fontes præbent limpidos, quibus statuæ superimpositæ sunt. Atq; hic effigies & sculpturæ artificiosissimæ videntur, utpote Bacchi, Fauni, Neptuni, Apollinis, Agrippinæ, Palladis, Hermaphroditi cujusdam nudi, Jovis Hammonis, Pompeji Magni, Demosthenis, Speusippi, Veneris Romæ triumphantis de Dacia victa, aliaque signa antiqua, quæ spectantibus singularem præbent delectationem.

Paulo altius attollitur ædificium rotundum testudinatum, quod Antiquarium vocant, a diversis signis & imaginibus marmoreis, quæ in eo continentur. Ubi præter alia simulacrum est Satyri, cui assidet juvenis inflans fistulam septemPLICEM. Nusquam gentium videtur statua elaboratius facta vel venustior. Scopæ dicitur opus.

In Palatio pontificum, in quod relicta Lateranorum Basilica propter amœnitatem sese receperunt pontifices (cujus amplitudo tanta est, ut oppidi potius justam magnitudinem æquet quam domus) ornamenta exquisita tanta sunt ac talia, ut admirari potius quam recensere ea quis possit. Inprimis vero sacellum xysti, quod altissimum latissimumque templū æquat amplitudine, hic annotare & contempla-

templa-



templari necesse arbitror. In hoc solet fieri novi Pontificis electio, congregatis in hunc locum Cardinalibus omnibus, & Ecclesia Romana præfectis, in sede vacante & interregno, sententiæ & suffragia ab unoquoque excipiuntur & referuntur in publicum. In huius sacelli pariete, qui attollitur pone summum altare, videtur pictura illa admiranda Michaelis Angeli Bonaroti, qua extremum Christi iudicium expressum est, tanta arte, tanta venustate, ut nihil elaboratius, nihil perfectius, aut absolutius toto mundo videri possit. Sunt etiam in hoc palatio horti, qui propter collium Vaticanorum amoenitatem, Belvedere nominantur. Et simulacris, quorum infinita ibi visuntur, Michael Angelus summe laudat illud Herculis, quod est ad partem inferiorem statuæ Veneris cum Cupidine colludentis, idque omnium, quæ Romæ videntur, absolutissimum esse asserit. Atque præter hoc etiam statuam Laocoontis, cum duobus filiis, quos gemini dracones implicant, & flexuosis voluminibus iatricant. Hoc opus est omnium, quæ toto orbe videntur, absolutissimum; teste Plinio, atque hanc statuam Michael Angelus dicit esse miraculum artis singulare, in quo divinum artificum debeamus suspicere ingenium potius, quam ad imitationem nos accingere. In adjacente canaliculo, sub testudinato receptaculo, est alia Cleopatra statuam quasi morientis, tanta arte sculpta & perfecta ut per medias vestes tenuissimas, quæ ex marmore factæ sunt pretiosissimo, videatur corporis forma numeris omnibus absolutissima. Et quid multis? verbis exprimi non potest, quanta loci pulcritudo, quantum singulorum, quæ ibi videntur, pretium & quantam admirationem spectantibus moveant.

Quid de bibliotheca Vaticana, quam Nicolaus V. stabilivit, memorem? quam, qui iustraverit diligentius, in ea nihil desiderabit, quod ad admirationem, curam aut studium

viri literati facere possit. Tam multi sunt in ea libri ex membranis linteis, corticibus, & antiqua papyro, ut Aegyptiorum illam Ptolomæi bibliothecam superare non sit dubium.

In platea media, quæ latissime expanditur ante Pontificias aedes & S. Petri delubrum, obeliscus ille Vaticanus integer ex lapide ophite, cujus altitudo est pedum 170. præter basin, quo continet pedes, 37. Obeliscus in inferiori parte latus est ped. 12. in superiore vero octo. Fuerat ante paucos annos erectus ad sinistram templi Vaticani. latus in circo Neronis: sed Sixti VI. P. M. beneficio inde translatus est in mediam plateam loco celebriori, opera Dominici Fontanæ; architecti Comensis: quod contigit anno 1586. nescio an in hoc magis admirari debeamus audaciam architecti, quam artis efficaciam: qua potuit saxum tanti ponderis suo loco movere, & alio transferre sine ruptione. Solus enim obeliscus præter basin superat pondus 956148. librarum: præter vectes, repagula, cingula, & harpagines ferreas, quibus oportuit tantam molem lapideam cingi, ut posset facilius comprehendî; & alio moveri: quæ omnia decies centena millia quadraginta duo millia octingentas & viginti quatuor libras aequabant.

Non procul ab hinc est xenodochium sive hospitale S. Spiritus, ab Innocentio III. primo ædificatum, postea multis ædificiis ampliatum Sixti IV. sumptibus, pauperum & hospitem peregrinorum usibus & necessitatibus dicatum est. In eo, sicut & in Laterano, diligentissime ac summa cura tractantur hospites, ægroti maxime: ad quorum comoda pharmacopolum omnis generis medicamentorum instructissimum erectum est; medici experientissimi ac fidelissimi constituti sunt, qui advenarum utilibus fidelissimam

præstant operam. Fitque sapius, ut non solum pauperes & egeni sese eo transferant, sed etiam opulentiores & ingenui cives, qui familiam non alunt, ut curentur exactius, in hoc xenodochio suis sumibus tractantur. Opus Christianæ charitati ac dilectioni proprium.

In monte aureo (qui ita vocatur à sabulo scintillante tanquam aurum, quod illic nascitur) structum est templum S. Petri, omni picturarum elegantia ornatissimum. In quo etiam erectum est insigne Julii III. P. M. sepulcrum, quod sibi dum viveret, struxit: conditus tamen jacet in Vaticano, loco humili & inglorio.

E regione Naumachiaæ sive Arsenalis, ubi olim omnia instrumenta bellica, quæ ad classes instruendas erant necessaria, reponébantur (hodie vero vinum venale ibi proponitur, quod ex Ostia navigio per Tyberim in urbem invehitur) paulo inferius pontem Aurelium, (hodie Ponte Xysto) reliquias adhuc quedam conspiciuntur pontis sublicii, qui olim ligneus fuit, quo tempore Horatius Cocles impetum sustinuit hostium, dum pons deiceretur, ne per eum in urbem irruerent Hetrusci. Hunc postea lapideum struxit Æmilius Lepidus. Ex eo præcipitatus est in Tyberim Heliogabalus, saxo ad cervicem alligato.

De insula Tyberina fama est, excrevisse eam olim ex segetibus Tarquinii Superbi in alveam fluvii coniectis: ad quas paulatim arenarum cumuli & excrementa urbis sunt addita, successuque temporis emerfit terra, quæ firmari cœpit, & solidiorem sumens basim ædificiis in ea struendis facta est commoda. Lata quidem non est admodum, sed stadia duo sua æquat longitudine. Æsculapio sacra fuit antiquitus hac de causa. Cum Romani contagiosa lue laborarent, Apollinis oraculo jussi sunt ex Epidaurò Romam Æ-

senapium accersere : qui in specie serpentis ex ara templi profiliens, in naves legatorum Romanorum, quæ in portu erant, tortuosis repens voluminibus, magna spectantium admiratione conscendit. Cumque ad Ostiam pervenisset, per Tyberim in urbem appulsa ad hanc insulam consedissee fertur, neque inde potuit navis abstrahi : quæ res argumentum Romanis dedit, Deum velle coli eo loco. Ideo ex senatusconsulto illic templum erectum est, quod hodie S. Bartholomæo sacrum est, videturque adhuc in sine inferiore insulæ navis illius forma, quæ ex lapide formata erat: & quam inundatio fluminis rapidior superioribus annis detexit.

Dignus etiam vel maxime visu est hortus Cardinalis Farnesii in Transtiberina urbe, variis statuis illustris. Nec procul abhinc in templo Jovis, quod nunc Joannis Baptistæ nomen habet, duo adhuc marmorei tripodes triangulares servantur, qui religiose ad aram Jovis adstant.

Carceres plebis eo loco fuerunt, ubi hodie est ædes S. Nicolai in carcere, quod templum erat Pietatis à M. Attilio Glabrione dicatum: propterea quod in eo carcere filia patrem in vinculis arctatum multis diebus aluit proprio lacte.

Pilati domus (si vulgari famæ fidem habemus) ibi fuit, ubi prope pontem senatorium (qui nunc est S. Mariæ Transiberinæ) altissimæ conspiciuntur ruinæ, sed re vera si quis eas contempletur attentius, cognoscet illic fuisse lavacra, sive sudatoria Laconica: quod ex caminorum canalibus frequentibus, qui undequaque parietibus inserti sunt, facile judicatur.

Templum Fortunæ virilis adhuc fere integrum est & illæsum, longo utrinque columnarum ordine: nunc S. Mariæ Aegyptiacæ sacrum est. Quidam hoc asserunt fuisse Pudicitia:

dicitiæ matronalis delubrum: in quo fuit Bucca veritatis, quæ statua erat marmorea, exertis labris, in cuius os Volaterrani reguli filia manum inferuit, ut suam virginitatem impollutam probaret, eum ab anti Fesulana de stupro accusaretur. Quod cum paulo post idem tentasset alia puella ejusdem criminis reâ, simulacrum os strinxit, & impudicæ dextram truncavit. Saxum illud amplum & rotundum ex porphyro, in cuius medio Iconinus extat rictus, quod ante scholam Græcam erectum est, hodie Bucca veritatis appellatur. Quia tamen in urbe, quamplurima ejusmodi animadvertuntur, ex diversis marmoribus, stultum est ad buccam veritatis hæc applicare, quæ ad stillicidia & receptacula æquarum pluvialium servivisse verisimile est. Atque in hac vicinia etiam quædam sunt domus, in quibus spectantur multa egregia antiquitatis monumenta. Ostenditur etiam posteriore Capitolii parte præcipitium quoddam, Tarpeia rupes, quæ recta spectat Vestæ aram: ex hac Manlius affecta tyrannidis reus, edicto senatus præcipitatus est.

Domus Ovidii ostenditur inter eas ruinas, quæ sunt non procul à templo S. Mariæ della consolatione: alii dicunt fuisse in vico Jugario prope portam Carmentalem ad radices Capitolii, prope forum holitorium: ubi quoque Valerius Amerinus habitavit, & Opis & Saturnus ædes habuerunt.

Templum Vestæ, quod à Romulo post urbem conditam est ædificatum inter Capitolium & Palatinum, fuit eo loco, ubi nunc est templum S. Mariæ delle Grazie (alii S. Mariæ della Consolatione vohunt) in eo Vestales virgines ignem sacrum & inextinctum custodiebant: & Palladium, quod erat simulacrum Palladis ligneum versatilibus oculis olim ab Ænea ex Troia, cum penatibus Ilii in Italiam de-

portatum. Hoc templum Deæ cum conflagrasset, ex incendio ereptum Palladium translatum est in Veliam, ubi est delubrum S. Andreae in Pallara.

Templo S. Georgii in Velabro adjacet Arcus Boarius, totus marmoreus, artificiosissimis sacrificantium figuris insignitus. Erectus olim in honorem Septimii Severi & M. Aurelii Imp. ab argentariis & negociatoribus. Cui vicinum est templum Jani quadrifrontis quadratum, & in unaquaque fronte porta amplissima, superiusque duodecim receptacula, quibus olim mensium simulacra continebantur. Janus enim sacrificiorum princeps, apud antiquos est habitus: ob id multa olim fuerunt Romæ templa Jano sacrata, è quibus illud maxime claruit, prope portam Carmentalem juxta theatrum Marcelli, quod Numa creverat; habuitque tantum duas portas, quæ pacis temporibus claudebantur, bello autem relinquebantur aperta. Hoc ter tantum clausum fuisse prodiderunt historia. Primo à Numa conditore. Secundo à T. Manlio Consule. Tertio ab Augusto Cæsare, post bellum Actiacum. Suetonius refert, à Nerone quarto fuisse clausum: quod ex ejusdem Imperatoris numismatibus probatur, in quorum aversa facie legitur: PACE POPULO ROMANO UBIQUE PARTA JANUM CLUSIT. Hodie templum hoc S. Catharinae sacrum est.

Herculis Victoris fuit olim templum è regione scholæ Græcæ versus Tyberim, ubi hodie videtur adhuc ædificium rotundum fornice tectum, dirutum fuit à Sixto IV. P. M. In hoc templum neque muscæ neque canes, ut fama prodidit, ingrediebantur: tanta fuit veneratione apud antiquos, & hanc causam referunt. Cum Hercules cum victimariis Jovi sacrificaturus esset, & à muscis molestaretur, myagrium Deum muscarum rogasse fertur, ut muscas à carnibus arce-

ret:

ret: clavum autem suam ad templi fores appendit, quam canes formidabant, neque ostio audebant appropinquare. Sacris, quæ in eo fiebant; non aderant mulieres, neque servi neque liberti, sed liberi tantum liberisq; parentibus nati.

Ara maximæ, quæ prope scholam Græcam ab Hercule fuit erecta, prope quam Æmilius ædificavit Pudicitia patritia fanum: in quod cum ingressa esset Virginia nobilis quidem, sed plebei viri uxor, à reliquis matronis ejecta est: quæ offensa propter repulsam, in vico longo Pudicitia plebeia templum erexit, à quo patritia quoque matronæ arcebantur. Nulla horum hodie extant vestigia.

Mons Aventinus diu infamis & inauspicatus habitus, quod Remus in eo cæsus esset, à Sabinis habitari coepit, hodie antiquum nomen retinuit. In cuspide vertice, Diana templum ab Anco Martio erectum, nunc S. Sabinae sacrum est. Prope hoc templum Bona Dea delubrum habuit, nunc S. Mariæ Aventinae dicantur. Nec procul ab hoc templo domum olim habuit Julius Cæsar: ex hac Calpurnia Cæsaris uxor, cum se ad sacra nocturna Bonæ Deæ cum reliquis matronis contulisset, illius amore captus Clodius habitu muliebri, tectus e se contulit: cumque loci ignarus huc & illuc vagaretur, ut amicam quæreret, neque virorum ulli sacris Dei liceret interesse, nescius, quas ceremonias deberet servare, ab ancilla proditus est. In summo Aventino, Hercules Victor fanum habuit, quod hodie dicitur S. Alexij.

Thermarum Decianarum, Vasianarum & Trajani, ingentes hodie adhuc extant ruinae, prope templum S. Priscæ, S. Alexii, & ad munitionem Farnesiam & portam veterem Tergeminam, in vinea Francisci Albertini, civis Romani.

Remoria vocatur is locus, ubi Remus cum suis auspicatus est: qui priscum nomen hodie retinet: vocantq; Romani.

mani Remoriam viam, quæ à Circo maximo per dorsum Aventini recta ducit ad munitionem Pauli III. Farnesii, in ea casus est à Celere Remus, Romuli jussu, & ibidem sepultus.

Spelunca Caci eo loco fuisse dicitur, ubi rupes aspera & exesa, locusque acclivis cernitur, spectans Tyberim, è regione S. Mariæ Aventinæ. Hunc cum mactasset Hercules, quod boves, quos ex Hispania devictis Geryonibus captivos abduxerat, adversis caudis in id antrum traxisset: ibidem aram Jovi inventori erexit, ubi postea templum erectum est Herculi. Ad hoc præcipitium fuerunt olim Furcæ Gemoniæ, ubi facinorosi & scelerati uncis tracti immaniter trucidabantur. Ad has Vitellius Imperator furca sub mento applicata, & vestibus ad nates usque turpiter laceris, Vespasiani jussu necatus est; quod paulo ante Sabinum Vespasiani fratrem è vivis sustulisset.

Porta Tergemina antiquissima ex opere latericio adhuc hodie ferè integra videtur ad Aventini radices prope Tyberim, ad vineas, quæ Trajani thermis adjacent. Per hanc portam exiverunt urbe Tergemini fratres Horatii, ut contra Curiatios Albanos pro patriæ libertate decertarent: quibus casus, ac duobus fratribus amissis, Horatius evans in urbem regressus est.

Mons testaceus horreis Dioeletianis centum & quinquaginta cellis, sed ruinosis, conspicuus, adjacet, qui ex vasta congerie vasorum fictilium erectus est. De hac urnarum coacervatione variæ feruntur opiniones. Quidam existimant montem hunc (qui in circuitu suo ferè duo millia passuum continet, & in altitudine plusquam centum & sexaginta pedes) in tantam vastitatem insurrexisse ex fragmentis ollarum, quæ à figulis eam urbis partem circa flumen incolen-



colentibus congeriebantur, ne si in Tyberim projecta essent, fluvii cursum impedirent, vel si in agros vicinos essent exonerata, locorum obessent fertilitati. Quidam, sed inepte prorsus, eum vocant Montem d'ogni terra: fabulantes conjectura ridicula erectum fuisse ex vasibus diversarum nationum, quibus tributa Romam importabant. Et vasa in eum locum memoria causa detrudi iubebantur. Olim Circus Olympicus totum id spatium loci complectebatur, quod Testaccum monte continet.

Ad portam Ostiensem adhuc integra conspicitur Pyramis C. Cestii Septemviri Epulorum. Structa est ex candido marmore, saxis ingentibus & quadratis. Quamvis autem in ejus frontispicio, quod Testaccum spectat, majusculis literis nomen C. Cestii referat: volunt tamen doctiores, hanc Pyramidem fuisse sepulcrum commune omnibus Epulorum septemviris. Erant enim Epulones, qui curam gerebant conviviorum, quæ fiebant diebus festis & solemnibus sacrificiis in honorem Deorum.

Huic Pyramidi vicina est porta Ostiensis, quæ nunc S. Pauli dicitur. Extra hanc portam statim se offert templum illud splendidum, quod D. Paulo dicatum est. In quo quatuor sunt ordines columnarum ingentium marmorearum, Dorico & Corinthio opere: præter alias innumeras, Atticas & Jonicas, quæ totum chori sustinent ædificium. Neque ullum invenias Romæ templum, quod columnarum frequentiore numero, vel exquisitioribus marmoribus sit ex cultum quam hoc.

Ostiensis via ad Tyberim relicta, pons se offert ad lavam, rivo non admodum magno superiacens. A quo semita se se extollit in colles vicinos, ducitque ad eum locum, qui vocatur Tre fontane. Templum est antiquum, ante cujus por-

ticum porphyriticæ extolluntur columnæ preciosissimæ; variegatæ enim sunt venustissime rubro ac cinericio colore. Intrinsicus ostenduntur tres fontium scaturigines; quarum aquæ sacrosanctæ vulgo existimantur, ac morbis multis mederi. In eo loco Paulus Apostolus sub Nerone truncatus capite creditur.

Ad sinem Parionis sive Hyperionis vici, ad quem à Strada Julia transitur, sunt Arianæ ædes amplissimæ: ad quarum angulum sita est tota illa urbe, imò toto orbe celebrissima Pasquini statua: cujus factum celebratur toto fere anno, sed maxime in die S. Marci. Ad hanc solent Romani affigere scommata & famosa epigrammata: quibus innotescit omnibus, quicquid joci aut vitiorum tota urbe solet committi inter principes ac matronas nobiliores: plerunque cum infamia ac dedecore multorum, cum Satyrica illa scripta nullius nomini conditionique pareant; imò etiam sapientissime summorum Pontificum gesta; joci ac secretiora dicta in eo loco publicantur, & Cardinalium collegium turpi sanna plerunque fugillatur.

Haud procul inde vastum illud palatium Cancellariæ quadrato ædificio, ac totum ex Tiburtino lapide constructum; hoc ædificatum est ex ruinis Amphitheatri Titi Vespasiani, quod Coliseum vocant. No tamen hæc tam magnifica structura prorsus deleteretur, Pontifices voluerunt aliquam ejus partem relinqui superstitem, ut ex ea appareret splendor integri ædificii. Erectum est ibi inter alia egregium Bacchi nudi simulacrum; redimiti pampinis & uvis, & cum Satyro colludentis; Bacchus hic dicitur sculptus à Michaele Angelo Bonaroto; cum primum Romam juvenis venisset Florentia: eo tempore primum locum inter pictores totius orbis facile obtinebat Raphael Sanctius Urbinas.

Is cum tacite Bonaroti famæ invideret, & illius honorem crescentem studeret subvertere, Michaellem non latuerunt Sanctii consilia, cumque Florentino esset ingenium elatum & in vindictam prœnum, ex adversarii iudicio sibi famam apud Romanos stabilire constituit, opera multorum amicorum, maxime Cardinalis Capoferrati, qui illum dum vixit, perpetuo dilexit & fovit. Bonarotus igitur ex antiquo marmore, quanta potuit arte & industria hunc formavit Bacchum, perfectamque statuam uno mutilavit brachio, quod penes se servavit, & in basis statua, excavata lacuna suum inscripsit nomen, quod litocolla cooperuit, opusque quod elanculum elaboraverat, iussit terra recondi in vinea cuiusdam civis, qui in ea domum paulo post structurus erat. Cumque anno sequente simulacrum hoc esset repertum ab iis, qui fundamenta domus jaciebant, ut solet Romæ fieri, statim ad laudicœptum est, & advectum ante Pontificis Palatium, laudari à multis, & cum aliis conferri, ac multis præponi. Solus Michael dissimulatum suum opus laudare quidem, sed in eo non deesse, quæ possent reprehendi, dicebat. Tunc contentione inter illum & Sanctium orta, inventi basim iussit, suum nomen ostendi, & brachium quod avulserat novum applicari statuæ, quam calce cimento liniverat prius, ut hunc situm ex antiquitate contraxisse videretur. Factumque est, ut Bonarotus summum honorem apud Romanos ex Sanctii sententia fuerit adeptus.

In foro Farnesiorum, quod la piazza del Duca vulgo nuncupatur, est amplissimum magnificentissimumque palatium, quotquot in urbe videntur, à Paulo III. P. M. Farnesio summis impensis constructum, ac multis statuis insignè. Ex cujus opposito sunt ædes Norciarum, diversis inscriptionibus antiquis insignes & elegantissimo illo Adonide nudo,

integro & baculum tenente: alii Melægrum esse dicunt, propter caput apri adjacentis, & canem, qui spirare videtur. Inventus est in Janiculo monte in vinea: eius pretiū quinq; millibus ducatorum aestimatur, nullā statua tota Roma videtur magis integra: nusquam gentium antiqui operis statua tanti emuntur, quam Roma. Omnes enim istorum ornamentorum ita sunt studiosi, ut in iis conquirendis videantur in vicem decertare sumptibus & curiositate. Videtur ibidem simulacrum Bōni Eventus, qui dextra speculū tenet, læva fertum exspicit. Opus est Praxitelis absolutissimum.

Non procul à Campo Flōræ sunt: aedēs Cardinalis Capoferrati, qui S: Georgii dicitur, Farnesianis multo minores, sed non minoris splendōris & artificii. In frontispicio depingitur tempus vernum: veris præses est Venus (quæ ad similitudinem corporis Liviae Columnæ principis formosissima depicta est) quæcunque illi representantur, sunt amatoria: complexio hominum est sanguinea, & aeris elemento cuncta signantur. Ita & in reliquis frontispiciis complexiones, cholērica, melancholica & phlegmatica sunt expressæ. Elementa, ignis, aqua, terra, tempora, æstas, autūmnus, hÿems: Dii præsides, Mars, Saturnus & Janus. Opus est absolutissimum. Cardinalis hic, ut fuit vir ingeniosus, comes & liberalis, intimo Michaēlem Angelum persecutus est amore, & ab eo impetrauit, quicquid à tanto viro potuit artificiosum excogitari. Cui & conelavo pinxit secretum: in quo duodecim Jovis adulteria arre summa sunt expressa.

Prætereo hic aedēs Gabrielis Vallati, in quibus sunt plurimæ inscriptiones, & antiqua marmora. Aedēs Marii Delphini, in quibus monstratur Canopi statua ex Simithe lapide facta

de facta in hydria speciem: in cuius frontispicio anteriore tabula est proposita literis hieroglyphicis plena, quibus arcaana sacrificiorum Camopi mysteria tradi creduntur. Præterea etiam domus Maximorum, in quibus colossæ Pyrrhi regis Epirotarum statua, galeata & armata erecta est, Palatium novum Cardinalis delle Vallè, quod omnibus antiquitatis ornamentis excoluit princeps eruditus & locuples. Palatium Valerii Cardinalis Vallæ, ædesque eiusdem Vallæ huic palatio contiguas: in quibus erectum est marmor candidum, alium & quadratum cum horoscopo solari & signis Zodiaci, ubi singulorum mensium dies & horæ notantur, & quicquid observare assueti erant antiqui, tam in sacrificiis Deorum, quam in iis, quæ ad rem rusticam pertinebant, ut hodie nostris Calendariis factitatur. Doms Bobelliorum, quæ occurrunt in ascensu Capitolii, in quorum ædibus, præter inscriptiones varias & marmora selecta, fons ostenditur venustissimo constructus artificio, ex topilis & conchyliis marinis, undè limpidissima scaturiunt aquæ, & in iis supernant pisces artificiales subnixi filis aeneis subtilissimis, quæ ad aquarum motum crispantur, & videntur leniter pisces moveri.

Ad partem superiorem Capitolii ad sinistram attollit sese templum Franciscanorum, quod vocatur Ara cœli, ad quod conscenditur gradibus marmoreis octoginta quinque, qui quinque ordinibus sunt distincti. Templi restudiatum ædificium sustinetur utrinque duobus columnarum marmorearum ordinibus: quibus tota urbe non videntur sumtuosiores, si Vaticanas excipias. Hæc templum fuit olim Iovis Feretrii dicatam à Romulo, post bellum Sabinum, quod eo in loco Jupiter tulisset auxilium regi oppresso hostium violentia. In area Capitolina palatium est iustitiæ; ubi præ-

ter alia est fragmentum leonis mordicus equum tenentis: cuius artificium Michaël Angelus miraculosum usque ad cælos laudibus extollere suevit. Ad sinistram positum est palatium Conservatorum, ad cuius ingressum sinistro latere tabula est marmorea, cui insculpta est mensura Romani pedis & Græci: sicut in monumentis Neronis & Agrippinæ excavata sunt mensuræ tritici, calcis, olei & aliorum: ad quarum normam corriguntur urbanæ mensuræ, si falsæ iudicantur. Atque alia præterea multa memorabilia ibi videntur.

Templi Jovis Opt. Max. ubi hodie sicut funes & rudentes, qua ad Tarpeiam rupem iter patet. Templi V. ciovis, (ubi olim fuit arx Capitolina) quod olim fuit asylum facinorosorum. Monetæ Junonis, quod à Camillo dedicatum fuit non procul à domo Manlii. Et Jani custodis, in ea Capitolii parte, quæ forum Romanum spectat, ubi hodie carcer & custodia est sceleratorum. Cum horum templorum dejecta & fere solo æquata ruinæ duntaxat hodie conspiciantur, non opus est illis diu immorari. E Capitolio clivus est lapidibus status, per quem descenditur in forum Romanum, usque ad templum S. Mariæ, à radicibus Capitolii & arcu Septimii Severi, qui ad finem clivi Capitolini, marmoreus & integer erectus est. Per hunc arcum triumphales pompæ è foro ad Capitolium ducebantur. Ad radices Capitolii fuit Concordiæ templum, à Camillo dedicatum, cum plebem reconciliasset senatui. Ad sinistram clivi Capitolini partem locus est, qui vocatur S. Petri in carcere, quod illic S. Petrus vincetus fuerit & clausus, ideo illi à Sixesto Pontifice dedicatus est: ubi festum vinculorum Petri celebrabatur olim primo Augusti: cuius feriæ Eudociæ imperatricis iussu translate fuerunt in Exquilias, ad templum quod  
illic

illic ædificavit, & dedicavit S. Petro in vinculis. Carceres ij primo structi sunt ab Aneo Martio : quibus concameratum fœcum subterraneum adjunxit Servius Tullius ; à quo Tulliani carceres sunt postea dicti : in iis strangulatos scribit Sallustius eos, qui Catilinæ conspirationi nomen dederant.

Ædibus divæ Martinæ ( ad quarum angulos iacet Martiorii Colossus, fueruntque olim sacræ Marti ultori, proximum est Sancti Hadriani templum, quod antiquitas fuit Saturni, à Numatio Plancio ædificatum, velut alii malunt restauratum. In hoc fuit ararium populi Romani, ubi etiam reconditæ erant tabulæ Elephantinæ, quibus continentur XXXV. tribus civitatis Romanæ. Ibidem quoque reponebantur signa militaria, decreta senatus, æta publicæ, & quæ ab Imperatoribus bellorumque ducibus in triumphis adferrebantur spolia devictarum provinciarum & populorum.

Ad dextram ubi sunt columnæ porticus templi Concordiæ, sub radice Capitolii, templum est hodie dicatum S. Mariæ liberatrici : quod olim fuit Veneris & genitricis. Alti illi parietes, qui sub Palatini radicibus adhuc conspiciuntur, pars sunt Rostrorum novorum. Rostra enim vocatus est hic locus, propter suggestum & pluteum æneum, qui ex rostris navium Antiatium structus erat. Ibi leges ferebantur, & habebantur conciones & conventus patrum, ad ea proponebantur capita cæforum supplicio publico : ut Cicero contigit, cuius caput amputatum iussu Antonii rostris affixum est, cum eius manibus ; unde Philippicis illas orationes declamaret Cicero, in æternum dederat Antonii. Nova dicta sunt hæc rostra, ad distinctionem veterum, quæ ad Curiam Hostiliam sita erant propè Comitium ; quod extendebatur à porta Palatii usque ad eum locum, ubi hodie est.

est structum templum S. Mariæ novæ. In rostris veteribus nunc structum est sacellum S. Mariæ de inferno.

Forum Julii Cæsaris occupabat olim eum locum decliviorē, qui videtur post Faustinae porticum, usque ad templum S. Martini. Foro Augusti adiacet templum S. Laurentii. Templum Castoris & Pollucis fuisse dicitur inter S. Hadriani & Faustinae. Templum Pacis à Claudio coeptum & à Vespasiano finitum, fuit augustissimum & magnificentissimum: cuius altissimæ testudines adhuc extant, non procul à templo Sanctæ Mariæ, ubi videtur hodie columna integra superstes omnium, quæ Romæ sunt, altissima & maxima. In hortis S. Mariæ novæ fornices altæ ac rotundæ extolluntur, quæ fuerunt olim duo templa contigua, sacra Soli & Lunæ, vel ut alii asserunt, Isidi & Serapidi.

Fori Augusti spectatur adhuc portuicula eo loco, qui l'arca di Noë vocatur, corrupto vocabulo pro Arcus Nervæ. Ad dextram sunt duorum arcuum reliquiæ, partes palatii Nervæ sumtuosissimi. Arcus Nervæ restant adhuc fragmenta maxima, inter templum S. Basilii & turrim militiæ.

Via sacra, quæ ita dicta est ab antiquis, quod Augures solenni pompa per eam ad sacra faciendâ procederent, & in arcem conscenderent, extendebatur à foro Romano per arcum Titi Vespasiani, usque ad eius Amphitheatrum, quod vocatur hodie Coliseum. Ad hanc viam sacram eminentiore loco Titi Vespasiani ex marmore erectus est arcus: in quo sunt ex sculptæ victoriæ & triumphî pompa, quæ ferebantur templi Hierosolymitani spolia post devictos Judæos; nempe Arca fœderis, candelabrum septem lucernarum, mensa panum Propositionis, tabulæ Decalogi, & vasa sacra, ex auro puro, quibus utebantur ad sacra templi: quæ omnia in eo arcu videntur sculpta, cum curru triumphantis Imperatoris.



ratoris, Prope hunc arcum sub Palatino ad dextram turris erigitur quadrata, quam vulgus vocat Studiolo di Vergilio: fabulanturque ridicule, ex ea fuisse Poetam appensum in corbe à quadam meretricula, ac toto die spectaculo fuisse populo, quod ut illiceretur Vergilius, qui Magicam callebat artem, effecit ut ignis tota urbe extingueretur univ. susque populus candelas & lucernas incenderet ex flammis, quæ in pudendis meretricula fuerant excitatæ. Fabula pingitur hæc ubique, sine auctore. Non est verisimile, tale aliquid magno illi Vergilio contigisse, qui propter continentiam Parthenius vocabatur. Si quid in hæc fabula verum est, de alio Vergilio Mago scriptum puto: de quo Neapolitani quoque dicunt plurima fuisse facta; inter cætera Paullipum montem excavatum fuisse arte Magica; & pervium factum: nam Vergilii sepulcrum prope hanc celebrem cavernam erectum est.

In monte Palatino, qui olim fuit celeberrimus propter angustas Cæsarium aedes, quæ in eo fuerunt superbissimæ, hodie nihil admodum notatu dignum videas, cum omnia sint inculta & devastata, neque locus est tota urbe desertior. Inter has ruinas templum exiguum S. Nicolai adhuc extat cum aliquot ædiculis, reliqua occupantur vineis, hortis & vepribus. Ad hujus radices, prope Pacis delubrum fuit olim Curia Hostilia, eodæ die, quo Clodia Milone casti corpus cremabatur, tota igne combusta cum Basilica Portia illi vicina. Fuerunt etiam in monte Palatino multa templa diversis Diis sacrata: ex quibus unum fuit Victoriæ; ex cuius ruinis pateraspectus ad hortos S. Mariæ novæ. Apollo quoque ibi habuit templum, fulmine postea dejectum, cuius adhuc quadam vestigia videntur. Penates quoque suum fanum ibidem possederunt ad Veliam, quæ spectat forum

Romanum: in eo reposita erant simulacra, quæ Æneas ex Phrygia deportaverat in Italiam ex verſo Ilio: hæc in ſumma veneratione ſemper habitæ ſunt à Romanis; Multaque alia in eodem monte fuerunt templa, quibus certus assignari non poteſt locus propter ruinarum implicatas ambages & confuſionem. In eodem quoque Palatino multæ fuerunt ſplendidæ domus, ut Tarquinii Prisci, Ciceronis; qui ſuas à Crasso quinquaginta millibus ducatorum emerat, Germanus, domus Faustuli à germanis fratribus Remo & Romulo, qui illic fuerunt à Faustulo nutriti, qui caſam incoluit, non procul à Græcoſtaſi; Summa Velia, quod illic paſtores ſoliti eſſent vellere lanas ab ovibus antequam tonſuræ modus innotuiſſet: unde lanæ avulſæ vellera vocantur; Palatium Scauri, Græcoſtaſis, ubi verſabantur legati verſarum nationum, qui Romam mittebantur; domus Valetii Publicolæ, quam una nocte ſolo æquavit, quod ſuſpectus eſſet populo; Palladium, delubrum, in quo Palladium cuſtodiebatur, ſimulacrum ligneum verſarilibus oculis, quod Æneas cum penatibus ex Ilio tranſtulcrat in Italiam, quod in templo Veſtæ repositum eſt poſtea, & traditum cuſtodie Veſtalis virginis. Fuit quoque ibi templum Cybeles; domus Auguſti Cæſaris, in qua ipſe natus eſt, cujus ruinae adhuc ſpectantur altiffimæ; Bibliotheca palatina; item balnea palatina, in quæ derivabatur pars aquæ Claudiæ per aquæ ductus, qui adhuc hodie videntur in vinea Fædriæ Patricii Romani, verſus Circum maximum; veſtigia portæ veteris Palatii, quæ & porta Romuli dicta eſt. Ad radices montis Palatini, nempe ad columnas porticus Liviæ, vicinum videtur templum S. Theodoſio dicatum; id olim conditum dicitur à Romulo, quo tempore bello Sabino Romani perterriti fugerent, eorumque fugam voto ſuſcepto rex cohibuit, poſtea Jovi Statori conſecravit.

In descensu ad Circum Maximum occurrit statim locus depressior & excavatus: unde sub fornicibus amplis emanant aquæ copiosæ, ad quas mulieres suos pannos & linthea lavant, & hæ dicuntur esse fontis Nymphæ Juturnæ in Velabro. Fornicatum vero illud opus, quod subterraneo ductu longe protenditur, pars est cloacæ maximæ, quæ à Tarquinio structa est, ut esset receptaculum omnium sordium urbis, quæ per subterraneos meatus ferrentur in Tyberim. Incipiebat enim hæ cloacæ ex Foro Romano ad Jovis Statoris ædem, deinde per Velabrum porrigebatur in Tyberim. Cujus amplitudo tam lata fuit, ut facillime sub ejus fornicibus currus onustus ageretur. Legimus Censores aliquando vendidisse cloacæ hujus immundicias, ad stercoreationem agrorum, sexcentis ducentorum millibus. Quod cum objectum esset Imperatori, respondit: Odor lucri bonus ex re qualibet. Chiyica nunc vocatur. Illi vicinus erat Lacus Curtius, à Curtio dictus, qui se in voraginem præcipitem dedit armatum cum equo, ut averteret pestilentem aërem, qui ex ea exhalabat, & Romam contagio malo infestabat. Prope cloacam maximam locus fuit Numæ Pompilio sacer & mysticus, in quo ne spueri quidem licebat ulli. In hoc loco Gallorum Senonum cineres reconditi erant: nunc Dolioli vocatur: propter doliæ sive vasa fictilia, quibus eorum cineres continebantur, sepulta.

Ex omnibus Circi maximi ornamenti nihil fere superest præter loci circumscriptionem integram, qua ejus amplitudo facile cognoscitur, longitudo nempe trium stadiorum cum dimidio, latitudo vero trium iugerum; capax erat hic Circus ducentorum & sexaginta millium hominum, alii restringunt ad numerum CL. millium. In eo loco Romulus primos edidit ludos Circenses in rapto Sabianarum.

Versus Palatinum restant crebri porticum fornices, quibus sedilia erant reposita, & testudines plurimæ secundum Circi ductum, quæ putantur fuisse officinæ negotiatorum, quibus venales merces exponebantur populo, qui frequens conveniebat ad spectacula. Alii existimant, fuisse lupanaria, in quibus habitabant meretriculæ corpore quantum facientes. Huic Circo templum habuit conjunctum Neptunus, ad Palatini radices, post S. Athanasia delubrum, cujus adhuc aliqua videntur ruina, incrustatæ conchyliis marinis. Fuerunt etiam in hoc Circo erecti obelisci duo, quorum major, præter basin, longus erat pedes centum & triginta duos, omnium, qui Romæ erant, maximus.

Naumachia locus, ubi Romana juvenus se in exercitiis navalibus exercebat, hodie ostenditur, ubi crebra aquarum lacuna sunt & arundinum carecta. Vbi & aqua illa, quæ super Circo per canalem circa murum fluit, pars sunt aquæ Claudia.

Ad hanc viam Appiæ partem, ingens Septimii Severi moles attollitur. Nullum hoc edificio fuit altius Romæ. Septisoli vocat Plinius, quod septem solaria contineret; nunc Septizonium dicitur. Hoc ab Imperatore fuit erectum in tantam altitudinem, ut navigantes ex Africa in Italiam hoc spectare possent è mari, & ejus cineres (qui in apice supremo hujus molis erant repositi) adorarent: erat enim Severus natione Afer. Extant ad edificio Septisoli, quod olim septem contignationibus in altum extollebatur, tres tantum nostro tempore restant contignationes: quæ longa antiquitate videntur nutare, & ruina minari.

Via Appiæ, quæ ab Appio Cæco senatore, lapidibus durissimis primùm strata est, reliquæ quædam monstrantur in via præcipue, quæ itur Neapolim prope Privernum & Circa.

Circæ promontorium. Via nova autem dicitur ea pars viæ Appiæ, quæ à Thermis Antoninianis ducitur usque ad portam Capenam; propterea quod id totum spatium pavimento novo stratum est ab Antonino Caracalla, dum suas extruxit thermas, quæ sub Aventino e regione Piscinæ & templi S. Sixti sitæ sunt. His nullæ videntur Romæ magis integra præter Diocletiani.

Via nova ab Antoninianis thermis, qua reditus patet ad viam Appiam, est porta Capena, à Capena urbe vicina Albæ longæ. Alii Camænam portam nominarunt à delubro Camænarum, quod non procul fuit ab hac porta, dicta est triumphalis; quod per eam olim duo Scipiones triumphis, solennibus Romanæ inveci sunt: & novissime Carolus V. Rom. Imp. Paulo II. regnante triumphans de vicis Afris urbem ingressus est. Porta hæc hodie dicitur S. Sebastiani: à templo eidem Sancto consecrato, quod abest à porta duobus passuum millibus ad cimiterium Calixti. Erecta quoque sepulcra magnificentissima ad hanc viam, magno numero utriusque, adhuc fere integra. Ad dextram Almonis rivus, qui Romam influens sub Aventino Tyberi innuat, adificium altum est & rotundum, quod ex inscriptionibus inde erutis probatur fuisse sepulcrum Scipionum.

Appia via ad dextram relicta occurrit sacellum rotundum, quod vocatur Domine quo vadis. Eo loco dicitur Petro Roma fugienti metu persecutionis occurrisse Christus dicitur: cui cum Apostolus dixisset, Domine quo vadis? Romam, Christus respondisse fertur, ut iterum crucifigat. Juxta hoc sacellum multe sunt sepulcrorum ruinae, ubi, ut & in aliis plurimis locis, sub fornibus integris cellulae conspiciantur, in quibus ordine concinno plenæ cineribus mortuorum urnæ repositæ sunt. Ad hanc viam etiam paulo

terius ad sinistram adhuc exstant parietes ex coctilibus lateribus: qui pars sunt templi Fauni & Silvani. Atq; in eadem via ad dextram partem non procul a Sancto Sebastiano, aliud templum, olim Apollini sacrum, visitur, integrum quidem sed ornamentis vacuum, in quod opilioes suos noctu aut per artus recipiunt greges. Hinc ad sinistram in vicinos campos sese extendit via: in qua vix quadraginta passibus ab hac Apollinis aede, inter sentes, & dumos obscuro loco caverna est subterranea, cujus aditus, propter arbusta & lapidum acervos vix conspicitur: sed postquam in interiora hujus loci fueris ingressus, videbis fornices arte diligenti constructas, quæ utrinque habent repositoria oblonga, decem aut duodecim pedum, in quibus olim recondabantur mortuorum Christianorum corpora, quibus solenniter aut aperte non licebat suos funerari. In harum fornicum subterranearum recessu remotiore sunt adhuc crebræ cellulae, & quasi locorum receptacula lampadibus applicandis idonea. Sub his cavernis obscuris & amplissimis, vulgo asseritur Christianos olim habitasse, & secreto latuisse; dum sub Imperatoribus persecutiones crudelissimæ excitarentur & hodie hæc loca dicuntur Stantie di Christiani.

In templo S. Sebastiani, quod est ad viam Appiam, descenditur per gradus in speluncas subterraneas, quæ Cataumbæ vocantur, in quibus olim tyrannorum metu Christiani latebant, dicunturq; illic quadraginta pontifices martyrium sustinuisse, ac cum iis centum & septuaginta quatuor millia martyrum mortem pro religione Christiana tolerasse: uti ex inscriptione apparet, quæ ad principium descensus applicata est. Locus summa veneratione colitur, plenusque est pavore propter profunditatem & tenebras. In eum subire sine facibus aut lucernis non est tutum; neq;  
ultro

ultro citroque vagari sine periculo quis potest: tam diversi videntur utrinque cavernarum anfractus, & cuniculi sese in omnem partem protendentes, ut labyrinthi speciem præ se ferant. Adhibitis tamen facibus & accito conductore loci perito, tuto licet per spatiosiores meatum ad exitum pervenire. Sepulcrum vocatur Calixti. Inter cætera, quæ ibi videntur, notabis, ad altare facelli lævi ostendi vestigia pedum Christi in lapide: quæ dicuntur relicta esse in monte, cum Dominus noster spectantibus Apostolis in cælum est assumptus. Huic S. Sebastiani templo vicinum est templum Gradivi Martis, centum ingentibus columnis marmoreis sustentatum; in eo olim hostium legati audiebantur, quibus in urbem introitum non permittebat senatus. Hujus templi pars major corruisse scribitur precibus Stephani pontificis, cum jussu Galieni rogeretur illic Marti sacrificare. Prope hoc templum servabatur Manalis lapis, quem Romani solenni pompa & ceremoniarum veneratione in urbem importabant, ut elicerent pluvias. Inferiori loco super via Appia videntur amplissima ruina Arcis prætorie, ut putantur. Ad hujus arcis ingressum videntur sepulcrorum moles quadratae, pyramides obtusæ & solidæ. Inter has quæ est celeberrima, forma rotunda ex quadratis facta marmoribus candidis instar amplissimæ turris, intus concava, & parte superiore aperta, cujus muri crassi sunt circiter pedes viginti quatuor: ea mœnium angulo adjacet, in cujus circuitu incisæ sunt marmorea bouum capita, cute ac carne nudata, ut in sacrificiis fieri solitum erat, quæ continentur lemniscis & fasciarum involucribus, conjungentibus fructuum, florum ac foliorum congeriem (festones vulgo dicuntur) & in intervallis patinæ repositæ sunt sacrificiorum. Capita bouum fere sunt ducenta, ideo Capo di Boi vocatur: volunt

que

que antiquarij geminam Hecatomben factam esse in funere celebri Cæciliæ Metellæ. Ad radices collis, in quo turris hæc ædificata est, si quis integrum versum heroicum pronuntiet, Echo admiranda eundem reddet integrum & articulatum sapius. Octies ad minimum integre & postea aliquoties confuse. Nusquam gentium ejusmodi Echo auditur, quæ ideo tanto dicitur excitata artificio, ut in funere hujus Cæciliæ plorantium, ejulatus, exclamationes & planctus funebres in mensum multiplicarentur, dum Hecatombe illa celebraretur duplex, & ludi funebres in honorem matronæ præberentur.

Sub hoc colle, loco depresso, sunt adhuc ingentes circi Hippodromi ruinæ, omnium, quæ hodie videntur, integerrimæ, ubi sese curru, equitatione & quadrigis quotidie exercebant milites. Extollunturque hic altissimi muri, suis intervallis distincti, ubi erant stabula, quibus equi clauderentur, edocebanturque ad certamina equestria, quæ in hoc Hippodromo exhibebantur. In planitie superiore super circo templum est integrum quadrata structura, cum suis columnis & porticu anteriore, id fuit olim sacrum Deo ridiculo. Quod Hannibal post Itragem Cannensem, qua ceciderunt civium quadraginta millia, cum ad urbem obsidendam copiis victoricibus properasset, eo loco castra posuit, auditò risu effusissimo perterritus abiit, & obsidionem urbis reliquit: in qua si pertinacius institisset; ut erant omnia metu ac pavore consternata; sine magna difficultate potuisset Romam potiri. Romani post ejus discessum Deo ridiculo consecrarunt sanum.

Non procul à porta Latina erectum est templum rotundum in honorem S. Joannis Evangelistæ, qui dicitur eo in loco cruciatus oleo & igne. Inde ad portam Gabiufam  
itur,



itur, quæ, sicut & Latina; muro clausa est & obstructa. A dextra conscenditur ad Cœlium collem, qui olim Querquetulanus dicebatur, à quercuum frequentia; antequam illi lum inhabitarent Hetrusci. In Cœliolo templum Sancti Ioannis Evangelistæ olim Dianæ sacrum fuit; hic Cœliolus appendix Cœlii est. In summitate Cœlii templum est rotundum, Sancto Stephano dicatum à Simplicio Pontifice; quod fuit olim Fanni sumtuosissimum delubrum: sed temporis injuria æmidisutum, restauratum est à Nicolao V. in eadem forma, qua videtur hodie. Curia Hostilia fuit olim, ubi nunc est templum S. S. Ioannis & Pauli versus Septizonium Severi. Albanorum mansiones in eadem parte Cœlii fuerunt, quæ spectat Aventinum; ubi hodie situm est templum Sanctæ Mariæ in Dominica, prope quod videtur aquæ ductus aquæ Claudiæ, Castra peregrina, ita dicta (in quibus diversabantur sub Augusto navale scopiæ, quas Imperator ad Misenum detinebat) olim fuerunt, ubi hodie est templum quatuor Coronatorum. Palatium Constantini Magni, cuius adhuc magnificentissimæ superiunt ruinae, fuit inter portam Gabinam & Cœlimontanam, nunc S. Ioannis dicitur. Lateranorum Basilica nomen suum retinet, sedes olim Pontificum Romanorum, cuius se vocant Episcopus; sed postea ducti a mœnitate collium Vaticanorum, in eum locum se contulerunt, ubi palatium celeberrimum incolunt cum templo S. Petri conjunctum. In hac Lateranensi Basilica locus ostenditur orbiculato ædificio & altissimis fornicibus. Locus hic vocatur Basiliscus Constantini. Facta est Constantinum Magnum lepra laborantem, suavis medicorum voluisse lavari in sanguine puerorum; atque ideo sumptuosum hoc ædificium præparasse; sed monitum ab Angelo in somnis, ut aqua baptismi ablueretur in nomi-

ne Iesu Christi Dei veri, quem Helena eius mater colebat : Imperatorem obtemperasse monitis cælestibus & baptizatum fuisse in eo labro porphyritico, quod adhuc medio Basilisco, videtur. Sed fides sit penes lectorem; neque enim verisimile est, ad tam barbarum nefas patrandum tantis sumptibus extructurum fuisse eum hoc ædificium, quod potius tegi & celari oportuit, quam vana ostentatione publicari; quid quod ab Episcopo Nicomediensi baptizatum tradunt historiæ, cum in Asiam venisset. Puto iraque fuisse balneum Laterani Palatii, quod consueque protendebatur.

Huic ædificio vicina sunt ad dextram sacella sacra, in quibus multa marmora preciosissima, quibus parietes intricati sunt, conspiciuntur, & columnæ Hierosolymis adportatæ Romam. Ad sinistram duæ sese attollunt columnæ marmoris flavi Mischij, quæ manu vestibus confriatæ & attritæ, suavissimum emittunt odorem, qualis est violarum cum lilio. De iis diversæ narrantur fabulæ, à Regina Æthiopum Salomoni donatas, & alia plurima pleraque inepta & ridicula.

In templo Lateranensi summorum Pontificum ossa sunt recondita : ubi omnia ex marmoribus preciosissimis facta sunt tanto studio & industria, ut nihil usquam gentium videri possit absolutius. Ad summi chori latus sinistram parieti applicata est tabula ænea, characteribus antiquis leges & senatusconsulta sub Vespasiano referens. Sub hac tabula est tumba sepulcri Laurentii Vallæ, qui Canonicus erat huius templi. Ante eorum erectæ sunt quatuor ingentes columnæ æneæ opere concavo, sed quæ repletae sunt, ut vulgus asserit, terra sancta, quæ ex sepulcro Christi Romam advecta est. De his columnis dissimilia narrantur.

In

In Basilica Laterana, quæ integra est & antiqua, cænaculum est Rotæ amplissimū: in quo Pontificum & Senatus Ecclesiastici, Cardinalium & Archiepiscoporum habebatur confessus, cum de rebus magnis tractandū esset. Tres illæ portæ altissimæ & marmoreæ; quibus in cænaculum patet ingressus, ex prætorio Hierosolymitano sunt advectæ. Inde per amplissima deambulacra relicto S. Mariæ Gratiarum sacello, super scalis sanctis duæ sunt cathedræ ex porphyro pertusæ, de quibus non parvi equidem nominis auctores tradunt Pontifices eligendos (postquam Ioanna mulier sexum virilem mentita, pontificatū adepta fuerit) antehac in illis, consedisse, quibus admota manu sub cathedra per exploratorem virilia tractata fuerint, cumque compertum esset marem esse alta voce exclamarint: *Testiculos habet, dignus est papali corona.* Quinetiam pompas sacras, quæ quotannis solenni ritu ducebantur ex Vaticano in Lateranum templum, propterea nunc divertere ad templum, S. Clementis, declinantes locum illum, in quo fama est, Ioannam peperisse, sacellum nempe exiguum illud, prope xenodochium Lateranum ad muros hortorum constructum. Ridicula sunt hæc: fides ergo est penes lectorem. Inde descenditur per gradus marmoreos summa reverentiæ ac devotionis; erant enim gradus Prætorii Hierosolymitani, per quos Christus virgis cæsus Pilati iussu sanguinolentus populo est propositus, & in iis craticulæ aliquot aeneæ deauratæ videntur applicatæ marmoribus, quæ guttas sanguinis servatoris tegunt. Tanta in veneratione habentur, ut piaculum morte dignum haberetur, eos pedibus contingere. Geniculatim per hos ad altiora loca conscenditur, suntque ita excavati vestimentorum attritu, ut cum difficultate maxima consistere quis in iis possit; propterea ad latus alii gra-

dus lapidei sunt erecti; per quos commode ascenditur & descenditur. Eodem in loco super gradibus sanctis columna albicans marmoris demonstratur; in duas partes divisa ab epistylis ad basim; ea parietibus adhaeret; & creditur fuisse ad ingressum Sanctuarii templi Salomonis, quæ Christo in cruce Spiritum Deo Patri reddente cum velo templi rupta est & in partes separata. Ubi patet ingressus in Sancta Sanctorum; sacellum est summa veneratione cultum; in quod nulli licet mulieri introire: in eo servatur arca foederis, virga Aaronis, mensa coenæ Dominicæ; Manna sacrum; umbilicus & præputium Christi, eiusque sanguinis phiala una, spinæ aliquot ex ejus corona; clavus unus integer, quo Christus affixus est cruce, frænum equi Constantini Magni, quod confectum fuit ex duobus pedum clavis, nam ex quarto conflata est lamina, quæ diademati aureo Imperatoris appositæ est. Eodem in sacello ostenduntur plurimæ reliquæ, quæ summa devotione à Romanis observantur.

In ultima montis Coelii parte templum est S. Crucis in Hierusalem; olim sacrum Veneri & Cupidini: in eo servatur pars crucis Dominicæ; & crucis titulus scriptus linguis tribus; denarius unus ex triginta; quos Iudas proditor recepit pro precio venditionis domini; & alia plurima. Ibidem est sacrum sacellum subterraneum; ab Helena Constantini matre conditum; in quod semel tantum quotannis patet ingressus matronis.

Prope ductum aquæ Claudiæ, versus Coelium, Xendochium est Lateranum opulentissimum & rebus omnibus, quæ ad excipiendos hospites, cujuscunque conditionis aut status sint, instructissimum. In eo sunt cubicula, quibus principes & nobiles excipi possunt commodissime. Pharmacopolarum apothecæ refertæ sunt omni genere medica-  
men

mentorū exquisitissimorū: neq; quicquid potest excogitari, quod ad agrorum necessitatem conducere possit, quod ibi non inveniatur, & officiose omnibus præstetur. Idque in causa est, ut multi nullius rei indigentes, cum in morbos inciderunt, eo se deportari curent, ac propriis impensis curari.

Paulo ulterius se offert stupenda illa & admirabilis Amphitheatri moles. Hoc Colisæum vulgo vocatur, à Colossæa statua, quam Nero illi erectit centum & viginti pedes altam. Hujus Amphitheatri tanta fuit altitudo, tanta amplitudo, tam concinna structura, ut nihil admirabilius Romæ videri possit. Triginta servorum millia tantum opus perfecerunt spatio undecim annorum. Capax fuit octoginta septem millium hominum, qui commode in gradibus & subfelliis possent sedere & spectare ludos, qui mediæ caveæ quotannis exhibebantur. Ad sinistram erectus est Constantini Magni triumphalis arcus, à Romanis positus post devictam ad pontem Milvium Maxentium. Exstat adhuc integer cum suis victoriis & statuis. Antè Colisæum super via, qua itur ad arcum Titi Vespasiani, aedificium est altum & arctum, testudinatum & acutum in speciem pyramidis rotundæ. Hoc vocabatur Meta sudans: quia inde manarent aquæ copiosæ & uberes, ex quibus bibebat populus, qui in Amphitheatrum ad publica spectacula convenibat. In palatio Massæorum, quo ab Amphitheatro, Capitolio ad lævam relicto, recta itur, plurima videntur antiquitatis monumenta, epitaphia, inscriptionesque, & ejusmodi reliquiæ priscae venustatis, quæ mirifice delectant peritorum artificum, & literatorum hominum oculos, & ingenium excitant.

A posteriori parte templi S. Apollinaris antiquissimi prope domum Cardinalis Paceci Hispani, quod olim Apol-

lini sacrum fuit, templum est S. Augustini, in quo Monica ejus matris sepulcrum ostenditur. Amplissimum illud forum, quod à templo Apollinaris, & palatio Ducissæ Parmensis, usque ad Gallorum templum, quod S. Ludovico dicatum est, extenditur, nunc in Agone dictus, circus fuit Agonalis; in quo Agonalia certamina, & agonales ludi, in honorem Iani à Numa Pompilio celebrari cœpti sunt. Thermæ Alexandrinæ, Hadriani & Neronis ibi postea constructæ sunt.

In ædibus Episcopi Sauli prope Agonem, in cœnaculo ostenditur caput M. Tullii Ciceronis. Apud Alexandrum Ruffinum prope templum S. Aloysii, simulacrum est Julii Cæsaris armatum, & quasi colossæum, cujus crura sunt ocreis antiquis eleganter circumducta; è regione est Octavius Cæsar ejusdem altitudinis & vestimenti. His duabus statuis vix Romæ quicquam spectatur rarioris artificii. Inter templa S. Eustachii & Minervæ videntur ruinæ quadratæ & longæ, reliquias quidam asserunt esse templi boni Eventus, qui colebatur ab antiquis, ut consiliorum & rerum, quas homines peragendas aggrediebantur, felicem & expectatum finem largiretur. Eius statua formabatur habitu plebeio, læta facie, dextra tenebat craterem sinistra fertum exspicis.

Fornices illæ rotundæ & altæ, quæ spectantur eo loco, qui Ciambella dicitur; partes sunt reliquiarum thermarum M. Agrippæ. Prope quas Nero quoque thermas ædificari curavit sumtuosissimas, quarum vestigia cernuntur satis ampla à posteriore parte templi S. Eustachii.

M. Agrippa prope suas thermas construxit templum architectura & sumptibus admirandum, Nullum in urbe antiquius, nullum integrius aut splendidius extat hodie. Hoc quia Diis omnibus sacra verat Agrippa, Pantheum vocatum

catum est: hodie dicitur S. Mariæ rotunda delubrum. Est que omnino sphaericum seu rotundum, caret fenestris, lucem admittit ingenti orbe, qui apertus est in summitate fornicis. In medio locus est profundus, & erate ænea tectus, ad excipiendas aquas pluvias. Fuit olim laminis argenteis coopertum; sed Constantinus Heraclii nepos eas abstulit cum reliquis urbis ornamentis, quarum loco restituta sunt plumbea à Martino VII. Aditus olim ad portam patebat gradibus septem, qui templum in circuitu cingebat: nunc unde circum ad eam descenditur. Unde apparet, quantum ex ædificiorum ruinis solunturbis accreverit. In hoc Pantheo sepultus est Raphael Sanctius Urbinas, pictor nostri seculi princeps.

Non procul à Pantheo Minerva suum habuit templum; quod occuparunt hodie Dominicani, retento nomine antiquo: vocatur enim S. Mariæ delia Minerva. In eo pauca videntur antiquitatis monumenta, præter paucas inscriptiones, quæ in repositoriis aquæ lustralis & altaribus leguntur.

A posteriore parte S. Mariæ rotundæ, cum descendis à via lata, eo loco, ubi Jesuitæ habitant, erectus est arcus antiquus, rudis, & omni ornatu nudus, qui Camillianus vocatur. Hunc à Camillo extractum putant, sed falso: nam primum sub Imperatoribus hæc opera publice sunt excitata.

In domo Nicolai Stagni, prope arcum Camillianum, retro Minervæ templum, est Herculis statua nuda, cujus caput tectum est leonino ricu, corio circa collum involuto: quæ nisi pedibus careret, posset reponi inter præstantissimas, quæ tota Roma servantur, colimnas. In domo Pauli de Castro demonstratur caput Socratis, cum toto pectore & alia multa notatu digna, quæ spectatorem mirifice recreabunt. Pro

pe arcum Camillianum super platea jacet pes collosus in-  
 gentis magnitudinis : qui indicat altitudinem monstrosam,  
 & artificium stupendum statuæ, cum esset integra. Omnia  
 illa, quibus olim forum Nervæ erat exornatum, aut vetusta-  
 te perierunt, aut alio translata sunt; proinde parva admo-  
 dum ejus hodie extant vestigia, sicut & Fori Trajani, quod  
 fuit inter Capitolium, Quirinalem & Forum Augusti. Ex  
 quibus ornamentis Fori Trajani sola columna cochlis su-  
 perest, quæ notas manifestas præbet imperatorii splendoris.  
 Alta est pedes 128. præter basim; quæ cum columna efficit  
 140. structa est lapidibus viginti quatuor, tantæ vastitatis,  
 ut opus videatur non ab hominibus, sed à gigantibus perfe-  
 ctum, singuli lapides sive partes columnæ, continent gradus  
 octo, per hos patet ascensus ad superiora, per interiorē  
 partem concavam; lumen præbent ascendētib; fenestellæ  
 44. Nihil potest usquam gentium videri admirabilius, nihil  
 magnificentius. Erecta est in honorem principis, ut osten-  
 deretur, quantæ altitudinis mons egestus esset in eo loco.  
 Hanc columnam non vidit erectam; bonus Imperator, qui  
 tunc occupatus detinebatur bello Parthico, & in reditu san-  
 guinis fluxu mortuus est apud Seleuciam in Syria, ejusque  
 corpus Romam translatum est, & in summitate columnæ  
 pila aurea ejus ossa recondita sunt. Dux illæ columnæ, quæ  
 videntur prope S. Mariæ de Laureto templum; reliquæ sunt  
 porticus Trajani.

Suburram, vicum patricium, Exquilias, arcum Galieni  
 & macellum Livianum studio hic omittimus, quam mini-  
 mum enim de eorum structuris hodie visitur.

Templum Isis, nunc S. Mariæ majoris (ad quod à tem-  
 plo S. Viti sursum iur) insignem habet structuram auro &  
 marmoribus peregrinis selectissimis exornatam. Sustenta-

tur



tur enim altissimis columnis marmoreis Ionicis. In eo sepultus est S. Hieronymus: ibi ostenditur imago Mariæ virginis, quæ creditur depicta à S. Luca Evangelista. Prope hoc templum sacellum est S. Lucæ sacrum, versus fanum S. Potentiana: in cuius colle declivi fuit olim lucus Iunoni summa religione sacer.

A templo quadraginta martyrum ad templum S. Clementis versus Amphitheatrum ruinae sunt ingentes thermarum Titi Vespasiani, ac eius Palatii, in quibus adhuc amplissima spectantur ædificia subterranea; quæ dicuntur lè ferré Salé. Erant enim castella sive aquarum receptacula, quæ ad lavacra thermarum erant necessaria. In vineis adjacentibus Feliciorum videntur adhuc integri fornices; in quibus picturæ Grotescorum apparent venustissimæ. Pertinebant enim concamerata hæc loca ad palatium Titi. Et in his reperta est illa Laocontis statua cum duobus filiis, quæ in palatio Vaticano Pontificum cum tanta spectantium admiratione demonstratur.

Prope templa SS. Juliani & Eusebii, moles quædam lateritia & alta extollitur, in qua fuerunt castella aquæ Marcia: in huius molis superiore parte erecta sunt trophæa, hoc est, armorum & spoliolum congeries alligata trunco arboris. Hæc omnia sunt ex marmore posita bello Cimbriico in honorem C. Marii: quæ cum Sylla evertisset, à Julio Cæsare sunt restituta in integrum.

In vineis prope S. Eusebium, à posteriore parte trophæorum Marii magnæ sunt ruinae thermarum Gordiani; prope quas idem Imperator splendidum erexerat palatium, quod ducentas habuit in duplici ordine columnas marmoreas. Sed de iis omnibus, præter ingentes murorum spondas nihil videtur admodum notabile, cum ex iis postea ad

nobilium domos translata sint omnia ornamenta.

Per portam Tiburtinam sive Exquilinam, quæ nunc S. Laurentii vocatur, sumtuoso aquæ ductu introducitur in urbem aqua Martia, quem primum Q. Martius extruxit, postea vetustate confumptum restituit Agrippa: deducebatur hæc aqua per millia triginta quinque; antequam urbem contingeret, & per campum Exquilinum derivabatur ad thermas Diocletiani, & ad loca vicina; salutifera enim fuit, ideo potui civium maxime accommodata.

Paulo ulterius pons est Mammeus, sic dictus à Mamea Iulia matre Alexandri Severi Imperatoris, cujus impensis pons est restauratus: nunc vulgo vocatur Ponte Mammo. Via Prænestina ab hac porta Exquilina ducebat Præneste, & ab hac quoque oriebatur Labicana via, quæ ad Labicanos; hoc est, ad Valmontonem ferebatur.

Pars illa Exquiliarum, quæ est prope templum S. Laurentii in Fontana, vocabatur Clivus Virbius, prope quem Faguralis erat lucus, ad quem Servius Tullius habitavit, ibique dictus est vicus sceleratus; quod in eo Tullius à genitore cæsus est, & per patris mortui corpus filia currum agere iussit aurigam, & hic sceleratus vicus habebat suum principium ab hoc loco plano, & extendebatur usque ad busta Gallica; ubi Galli Senones cæsi cremati & sepulti sunt per Camillum; locum hodie vocant Porrogallio, ubi structum est templum S. Andreae ad busta Gallica; vicus hic sceleratus vocatus est & Cyprius. In summitate vici scelerati, Teluris templum antiquitus ita dictum, hodie S. Pantaleoni dicatum est. Ex ruinis arcus triumphalis Gordiana constructum est templum S. Gregorii in Damaso. Vestigia templi Silvani prope S. Agathæ templum, amplia hodie videntur. Porta Viminalis hodie porta S. Agnetis vocatur. Remotius

motius aliquanto in via Numentana, pons est Numentanus, à Narsere Eunucho structus, ut docet inscriptio. Nero Imperator inter hanc portam Numentanam & Salariam, habuit suburbanum aedificio singulari, quod Liberto donavit. & in eo supplicium publicum metuens, pugione sub papillam ad aëro, adjuvante Sporo liberto, sibi mortem conscivit. Hujus suburbani aliquot ruinae sunt adhuc superstites.

Porta Quæquetulana hodie clausa est; extra quam videntur ingenia erecta forma quadrata; reliquiae sunt castelli, in quo diversabantur milites, qui custodiae Diocletiani Imperatoris erant destinati.

In dorso Viminalis admirandae vastitatis & sumptuositatis videntur Diocletiani thermæ semidirutae; nullae tamen in urbe sunt magis integrae. In his construendis quadraginta Christianorum millia, per annos quatuordecim servili more dicuntur esse vexata. Hodie vocantur allé Terminé; & locus ille subterraneus (qui dicitur la botta di Terminé) castellum est sive receptaculum aquarum, quae ad lavacra erant necessariae. Ad has thermas magnificentissimum struxerat palatium Diocletianus; quod restantur ruinae regularinataeque aedificia adhuc fere integra, & ingentes columnarum bases, quae ibidem inventae sunt. In eo fuit illa celebris Bibliotheca Ulpia in qua libri servabantur Elephantini. In harum thermarum parte dextra, Bellaiani sunt horti antecessimi; in quibus videntur plurimae statuae artificiosissime suis loculis applicatae, & in deambulacris dispositae. Muri fere omnes, Punicis & medicis arboribus, cedris, cyparissis, myrtis & lauris in speciem peristromatum concinane recti, non mediocrem voluptatem praebent. In alia thermarum parte postrema, ubi elevata sunt aedificia concamerata & ampla (quae vocantur le Borté) templum est S.

Sufannæ, quod olim fuit sacrum Quirino. In eo enim loco Romulus in cœlum antea translatus, Proculo Iulio Alba redeunti creditur apparuisse: propterea illi à senatu divini sunt honores tributi, & templum positum. Totus ille cli-vus vocabatur olim Vallis Quirinalis, quod in ea Romulus Proculo venit obviam, & varia cum eo communicavit.

Vallis illa, quæ est inter Diocletiani thermas, & templum S. Mariæ majoris, continuit Olympiadis balnea, quorum adhuc vestigia demonstrantur non procul à templo S. Laurentii in Palisperna. Juxta defubrum S. Pudentianæ sunt adhuc multæ ruinæ balnearum Novati. Ubi vero ædes est S. Vitalis ad principium montis Quirinalis, olim fuerunt balnea Agrippinæ matris Neronis; cujus ibi adhuc extant ruinæ. In templo S. Laurentii in Palisperna, demonstratur marmor ingens summa veneratione & religione cultum, in quod S. Laurentii corpus assatum & ustulatum repositum est post eius mortem.

In via ad montem Quirinalem, quem hodie vocant Monte Cavallo, occurrunt horti Cardinalis Carpensis, qui omni ornamento antiquitatis pleni sunt; his enim nihil tota Roma, imo si ausim dicere, tota Italia, videtur amœnitas, nihil magnificentius. Neapolis multos habet hortos insignes fontibus, herbis & arboribus, maxime Toletanos, qui Chiaia vocantur, sed propter amœnitatem situs & aquas uberes, frigidas & salubres, pauca habent antiqua. In his Carpensibus nihil desiderari potest, nihil excogitari ab homine, quod non reperitur: tanta magnificentia ædificiorum, tanta marmorum peregrinorum varietas, statuarum excellentia & pulchritudo, inscriptionum numerus & diversitas (quarum plusquam CXXXVI. numerantur diversis figuris artificiosissime sculptæ) ut omnia ad miraculum & delicias tan-

quam in Paradiso aliquò proposita esse videantur. Ante cætera fontis illius congrua concinnitas, & artis admirandæ singularis perfectio, reliqua omnia quæ ibi spectantur, videntur præcellere. Quæ etsi à diversis auctoribus summis laudibus celebrata sint, præsentia tamen famam videntur superare.

In monte Quirinali sunt horti magnificentissimi Cardinalis Ferrariensis, quibus nulli videntur Romæ arborum diversarum cultu splendidiore. & ædificio mirabilis artificii, quod ex arboribus confertis simul & implicatis labyrinthum efficit. In dorso Quirinalis colossæ sunt duorum virorum statua, quæ frænis duos ingentes equos marmoreos impediunt. Ab his equis mons Caballinus vocatus est. Et hos fama est Romam advectos à Tyriditate Armeniorum rege, dono datos Neroni, qui ut regem peregrinam Romano splendore exciperet, Pompeii theatrum, in quo ludos exhibuit, laminis aureis tridui tantum spatio sterni curavit. Quam magnificentiam non tam admiratus est rex barbarus (qui non ignorabat Romam esse receptaculum divitiarum totius orbis) quam diligentiam & solertiam artificum, qui tam brevi tempore tantum operis potuissent constare & perficere. E regione harum statuarum vastissima conspiciuntur & altissima testitudines, quæ sunt reliquæ Oratorii Neronis, quod cum suis hortis habuit conjunctum. Spondæ enim murorum ingentes ab hoc loco per clivum usque ad inferiorem Quirinalis partem, ubi est palatium Livie Columnæ, protenduntur, quæ satis indicant magnificentiam & amplitudinem domus imperatoris; in cuius elatiore parte, altissimum sese extollit frontispicium, quod vulgus vocat il Fronton di Nerone. Ex hoc Nero spectavit urbis incendium, quod ipse per incendiarios secreto excitaverat. & Chri-

stianis imputavit, ut eos in odium senatus populique adduceret: edicto que publicato quoriquot Christum fitebantur Deum, comprehensi, & in Neronis hortis flammati sunt, & crudelissime excarnificati.

Videntur in alia Quirinalis parte, arcus, fornices & cellæ subterraneæ plurimæ: ea omnia sunt thermarum Constantini Imp. reliquæ: Sacellum Neptuni in vicinis Bartholinorum, Balnea Pauli Emilii, vulgo Bagnanapoli, quorum exiles supersunt reliquæ, Domus Corneliorum, hodie, il vico de Cornelia: & templum S. Salvatoris de Cornelia, quod olim fuit Saturno & Bacco sacrum; Alta Semita, hodie porta S. Agnetis. Fuit & ibi Suburra plana, & paulo remotius templum Silvani. In apice Quirinalis, fuit templum Apollinis & Clatræ, & sacella Iovis & Junonis, Capitoliumque vetus: horum nullæ fere supersunt reliquæ. Forum & domus Salustii non fuit procul à templo S. Susannæ, eo loco, qui dicitur hodie Salostrico. Videtur ibi adhuc obeliscus parvus literis Egyptiacis signatus, qui dedicatus fuit Lunæ. In descensu Quirinalis versus forum Nervæ, turris alta se extollit, quam Torre meza vocant hodie. Ea pertinet ad Mæcenatis domum, ad quam hortos habuit cultissimos: & ad hos sapius se conferre solitus erat Augustus Cæsar, ut cum amico se oblectaret, dum se à curis gravioribus vellet extricare.

Non procul à turre di Comiti sunt domus Aseanii Magarozzi & Euryali Silvestris antiquitatum memorabilium monumentis instructissimæ.

Fanum Neptuni, quod olim dicebatur situm in eo loco, qui dicitur Ripeta: in eo naufragi tabulas suæ fortunæ soliti erant appendere, & vota suscepta pro sua conservatione solve; nunc dicatum est S. Blasio.

In valle Martia ad templum S. Rochi videntur ingentia ædificia Mausolei Augusti. Hoc Mausoleum structum est ab Octaviano Casare, ut in eo sepeliretur, ac post eum reliqui Imperatores ex familia Cesarum: eodem in loco prius erectum fuit Amphitheatrum sive Circus à Julio Casare, quem Augustus in sepulcretum convertit: hujus circumferentia cernitur adhuc fere integra & superstes, opere per rhombos distributo. In domo Fr. Sonderini ostenditur statua Pasquini spectantis Anticum mortuum: hanc maxime commendat Michael Angelus. In hac mole Manseoli duo fuerunt erecti obelisci, singuli pedes XLII: longi: quorum unus jacet fractus in via Flaminia ante templum S. Rochi: alter semisepultus terra cernitur in hortis posterioribus. In hoc tractu fuerunt olim Circus & porticus Augusti; locus Deorum Manium; sepulcrum Marcelli, naumachia Domitiani, vallis Martia, & via Flaminia.

Extra portam Flaminiam inter hortos Franciscus Ragaterius habet cultissimum & elegantibus simulacris ornatum hortum. Ad hanc viam Julius III. vineam extruxit, cuius ornamenta sumtu & magnificentia superant ea omnia, quæ Romæ conspiciuntur. Ad principium hujus vineæ erectæ sunt, in palatio magnificentissimo, multe imagines senatorum & patritiorum virorum. Fons quoque positus est in eodem loco, in quo nescias an magis ingenium artificum, quam sumtuositatem & splendorem Pontificum laudare debeas.

Sunt & alia ædificia in collibus vicinis extructa, ad æambulaciones activas: quorum quod est celeberrimum, in montis cacumine, duos habet obeliscos erectos cum pyramide altissima, cui sphaericum horologium superimpositum est: in eo ventorum omnium signa summo notata artificio designantur.

signantur, & discrimina singulorum cognoscuntur. Ad hoc palatium hortus est amœnus, spatiosus, & alto muro cinctus, quem inscriptiones antiquæ & marmora diversis sculpta figuris exornant, numero centū & ultra. Ibidē sunt duæ statuæ precii maximi, una Termini, alia Suria sive Natura. Huic ædificio vicin<sup>9</sup> est alter hort<sup>9</sup> superiore paulo amplior; vitium concamerationes altissimæ fulciuntur & sustentantur terminis marmoreis antiquis octodecim, qui vice columnarum serviunt: ex Græciâ Romam adportati sunt fere omnes. Paulo ultra Pons Tyberi superpositus videtur, quem Ponte Mole vulgus vocat; erat antiquis Pons Milvius, ad quem habito conflictu cum Maxentio Romæ tyrannidem occupante Constantinus Magnus victor evasit: tyrannus vero in fluvium cum equo se dedit præcipitem, ne in hostis potestatem veniret, & in triumphum duceretur, ludibrioque populi ad supplicii pœnas traheretur. Hac victoria salus & libertas urbi restituta est. & in rei memoriam Imperatori bene merito, victori ac triumphatori, conditus est ille arcus, qui adhuc integer superest inter Coliseum & Septizonium Severi.

In summitate vallis Martiæ occurrit arcus Tripoli, vel di Portogallo. Fuit hic arcus olim Comitiano sacer, incultus & rudis, neque ullum habet ornamentum, præter Domitiani imaginem, quam tamen nonnulli asserunt esse Claudii Imp.

Templum S. Laurentii in Lucina fuit olim sacratum Junoni Lucinæ, nomenque antiquum retinuit: in hoc antiquitus puerperæ & prægnantes post partum vota solvebant; quod Deæ beneficio liberatæ essent, & infantibus superstibus, vita esset servata.

In via Flaminia, quæ vocatur Strada del Popolo, do<sup>9</sup>  
mus



mus sunt aliquot, in quibus multæ videntur statuar antiquæ, ut Domus Pauli Ponsæ, Francisci Aragoni, Card. Sarmonteti & Ambrosii Lili.

Campus Martius planitiem eam totam complebat, quæ à Quirinali profendebatur usque ad pontem Xistum & Tiberim. Non procul à templo S. Laurentii in Lucina, in cellis vinariis multarum ædium, videtur ingens obeliscus, qui medio campo Martio fuerat erectus, literis & notis hieroglyphicis illustris, quem ex Hieropoli transferri Romam iussit Augustus Cæsar, cum duobus aliis, quos statuit in Circo maximo. Hunc longum centum & decem pedes scribit Plinius, atque in eo interpretationem Philosophiæ Ægyptiorum contineri.

In ea campi Martii parte, quæ vocatur hodie la piazza di Sciarra, Antoninus Pius erexit altissimam columnam cochlidem, altam pedes CLXXV. fenestellas habet LVI. quæ lucem præbent intrinsecus. Quidam asseruit esse convectoram ex XXVIII. lapidibus. Pars illius exterior continet res gestas Antonini sculptura figurarum excellenti: ab hac vocatur ille locus in Colonna.

Undecim illæ columnæ altissimæ, quæ ad templum S. Stephani in Truglio conspiciuntur erectæ, sunt reliquæ porticus, quam Antoninus Pius struxerat in suo palatio. Inter columnam cochlidem Antonini, & fontem aquæ virginis erant septa campi Martii. Erat autem is locus vallatus tabulato denso, in quem conveniebat populus suffragia laturus, quando magistratus erant eligendi. Collis ille qui aliquantulum eminentior tollitur in Campo Martio, inter Antonini columnam & S. Laurentii in Lucina (quem hodie Monte Acitorio nominant) fuit antiquis mons citatorum: in quem ex septis se recipiebant singulæ tribus post la-

ta suffragia. In eodem colle fuit Curia, quæ Villa publica dicebatur, in qua recipiebantur hostium legati, quibus non licebat urbem ingredi, vel in Græcostasi diversari.

Haud procul hinc est fons aquæ virginis, humili & depresso aqueductu per Campum Martium influens: hodie fonte di Treio dicitur. Et hæc sola ex omnibus aquis, (quas tantis sumptibus & aqueductibus, tam sumptuosis antiqui principes in urbem introduxerunt) remansit superstes ad usum civium. In hoc Campi Martii tractu sunt ædes aliquot, ut: Pompilii Nari, Gaddiorum, Desiderii Ursati, Antonii Gabrielis, in quibus multæ visuntur antiquæ statuæ. In primis vero palatium Cardinalis Carpentis: in quo tot statuæ, tot inscriptiones videntur, ut mirari nemo satis possit stultum tanti viri in exquirendis iis, quæ ab antiquitate pervenerunt ad nostra tempora, magna omnium doctorum utilitate & voluptate. In primis repositum est ibi in quodam ædificaculo Veneris nudæ corpus, ejus artificium superat reliqua omnia, quæ Roma sunt: id si esset integrum, nulla esset toto mûdo statua, quæ huic conferri posset, neque abs re creditur esse Veneris Cnidæ toto orbe celebratæ. Prope hanc Venerem est juvenis non minoris artificij, in quo tanta est membrorum proportio, tam elegans & pulposa musculorum convexitas, ut sculprorum & omnium artificum oculos cum summa admiratione fixos detineat. In alio Musæo huic ædificaculo contiguo statuæ duæ sunt, Satyri & pueri plorantis: quibus nihil perfectius tota urbe conspici potest, nihil elaboratius aut artificiosius; multaque præterea omnis generis, quibus Roma nihil possidet magnificentius, nihil admirabilius.

In colle Pinciano, à Pincio fenatore ita dicto, fuit sepulcrum Domitiorum, in quo Nero sepultus est. In clatio-  
re

re collis parte videtur arcus sive concameratio fornicata, quæ olim fuit pars templi Solis. Prope quam est templum S. Trinitatis, à Ludovico XII. Rege Gallie structum. Non procul abhinc jacet obeliscus ex lapide Thasio factus cum hac inscriptione: *Soli Sacrum*. Prope Collinam portam non procul à templo Susannæ Salustius habuit hortos amoenissimos & splendidas aedès, quarum ruinae adhuc sunt superstitès in ea valle, qua itur ad portam Salariam. In média hortorum parte videtur obeliscus non adeo magnus, literis signatus Ægyptiis hieroglyphicis, qui Lunæ sacratus est. Locus adhuc hodie vulgò dicitur Solostrico: Campus sceleratus sive via scelerata (in qua Vestales virgines, quæ stupro violatæ erant, vivæ defodiebantur) complebat id totum spatium, quod est à porta Collina, sub aedibus & portis Salustianis, usque ad portam Salariam.

Extra portam Quirinalem, ad sinistram viæ Salarie partem, sunt ruinae templi Veneris Erycinæ: cuius festam solenibus ceremoniis celebrabant matronæ pudicæ, Augusto mense, ad simulacrum Veneris Verticordiæ, quæ maritos uxoribus credebatur reddere placabiles & benevolos: ad hoc templum fiebant ludii agonales, unde porta nomen sortita est.

Paulo remotius super Aniene pons est adhuc integer, quem longa inscriptio docet à Narsese structum fuisse. Ad hunc pontem Annibal imbrium inundatione vehementi vexatus, obsidione soluta, castra removit ab urbe & discessit. Paulo inferius Tyberi miscetur Anien: ibique Iorqueus Gigantem Gallum superavit, & ab ejus collo torquem aureum detraxit, à quo nomen postea accepit.

Coeterum (hoc obiter) prope Tybur inter Anienis arenas leguntur amygdala, anisum, faniculum, & alia plurima

petrificata, quæ circumferuntur pyxidibus in conviviiis, ut matronæ & cōvivæ deludantur, existimâtes esse ex saccharo facta tragemata, quæ vocantur passim confette da Tivoli & superioribus annis corpus hominis interfecti & coniecti in Auienem adhæsit radicibus arboris, quæ fluvii ripam ingrediebantur, factumque est longo temporis intervallo, ut corpus à putrefactione conservatum, in lapidem sit conversum.

Ad portam Salarianam demonstrantur reliquæ templi antiqui, quod Honori sacrum fuit, & domus illius sive suburbani, in quo Nero Imp. adjuvante Sporo cuspide sub papillam adacta se interemit, ne in manus & potestatem senatus veniret, qui illum poscebat ad supplicium.

Sub hortis Carpensibus plurimæ sunt camerae & fornices obscuri, & longo ordine producti: hos nonnulli volunt esse officinas, in quibus conficiebatur & elaborabatur minium: alii malunt eum locum ad signare habitaculis meretricum, quæ eo se recipiebant tempore Floralium ludorum, qui celebrabantur in circo Floræ fomicibus his adiacente.

Sub Quirinali monte sunt ædes Buffalorum, parvæ quidem, si conferantur cum majoribus illis palatiis Cardinalium & principum virorum, sed quæ cæteris non cedunt omnino ornamento antiquitatis. Hortulus est consitus diversis herbis rarissimis, & arboribus, palmis, cedris, malis Punicis ac medicis, myrtis & aliis. Palmæ enim videntur Romæ multis in locis; sed nullæ gerunt dactylos præterquam hæc, quæ sunt in horto S. Mariæ del populo, & S. Mariæ in Trans-tyberi. Huic hortulo fons est additus, ex tophis marinis efformatus affabre in speciem rapis naturalis, tantæ pulcritudinis, tantorum sumtuum, compositionis tam raræ, ut nihil specio-

speciosiusquam videri possit. Disposita sunt diversis in locis conchilia pretiosa, quæ margaritarum referunt splendorem, & ingentes cochleæ Indicæ ludicissimæ, colore iridis & unionum. Totaque hæc rupes artificiosa venustissime tegitur lauris, cedris, tamariscis, & altis arboribus, quæ præbent umbram fonti subjecto: sub quibus simulacra sunt tria Musarum elegantissima, & Caracallæ Imperatoris, qui pallio marmoris cotognitis tectus est. Disposita sunt undique signa, quæ suis è loculis extant, ut Demetrii, Maximini, Philippi, Claudii & aliorum. Ex rupe fontis ejaculantur aquæ limpidissima, per tubos & canales æneos mirando artificio. Litostratum ex marmoribus compactum est exquisitissimis, opere tessellato, ex chalcedonico, porphyro, alabastro, thasio, pario, ophite, Marmaridum & Æthiopum lapidibus. Opus summa admiratione dignum: quodque, licet multo minus sit, pulchritudine tamen & artificio inventio. ne potest conferri cum fonte Iulii P. M. qui ad portam videtur Flaminiam. In summa, quicquid in domo patricij hujus civis spectatur, dignum rege & opulentissimo puta principe.

En habes hic, Laconica quidem brevitate, urbis Romæ monumenta ac memorabilia pleraque, partim integra adhuc, partim eorum ruinas. Consulto autem omisimus statuas atque effigies pictas aut sculptas, nisi quæ singularis alicujus essent artificii, ne videlicet nostra in immensum excresceret narratio, ob id etiam potissimum, quia plaræque statua, quæ passim in patritiorum aut aliorum civium primariorum ædibus cernuntur, quos nimirum repræsentent, non possunt dignosci. Hoc enim malum semper fuit Romæ, propter minimum rerum antiquarum studium, ut qui statuas non potuerunt emere integras, partes earum maxime

capita facile contrafacta & à corporibus avulsa sibi vendicant. Hinc fit ut passim non agnoscantur corpora sine capitibus, & raro quoque capita sine corporibus. De conclavibus quoque multorum Cardinalium, nobilium & civium opulentiorum, in quibus servatur infinitus numismatum aureorum, argenteorum & æneorum numerus: torcumata excellentiū artificum ex diversis metallis, Onyches, Sardo, nū, Cornalin, Lazuli, Amethystæ, Topazii, Berilli, Cyani, Pyropi, Hyacinthi, Saphyri, Crystallini lapides, calati & signati capitibus Deorum, Imperatorum, virorum illustrium, diversorum animalium, herbarum & arborum, variaque emblemata continent; hæc præterire satius putavi, cum impossibile sit singula enumerare, vel enumerata explicare: quod præterea hodie (propter fraudes multorum malorum, qui clanculum multa furto turpissimo subtraxerunt) paucis aditus præbetur ad hujusmodi secretiora loca. Multique timent ignota ea communicare, quæ conjuncta sunt cum multis statuis, tabulis ac picturis nudis & lascivis: quæ etiam à viris ecclesiasticis servantur, propter artificium & operis venustatem & excellentiam. Nonnulli autem sunt, qui malignitate depravati seculi, post reditum in patriam proterve suis annumerant & narrant, scriptisque publicant, quæ viderunt, ut invidiam, dedecus & contumeliam concitent possessoribus, à quibus comiter & perhumaniter sunt excepti, beneficiorum immemores ingratitude pro gratia referentes. Hæc malignitas in causâ est, cur hodie domibus nobilium pauci admittantur, nisi commendatione amicorum id contingat, aut longa familiaritate, & usu communicationis quotidianæ eos, quorum fidelitatem & ingenium perspectum habent, in musæa sua admittant, & amice communicent, quæ habent pretiosa. Hinc fit ut virorum malorum

ingra-

ingratitude viris bonis sit opprobrio & damno inastimabili  
 si impediaturque studium iuuentutis, & comitas caritasque  
 omnium refrigeretur, aut plane extinguatur.

Cæterum de Venetiarum urbe, quæ & ipsa ædificiorum  
 structura rerumque memorabilium splendore ac magnificentiâ  
 insigniter eminet, sigillatim omnia, quæ ibi videntur,  
 memoratu digna, percurrere, nimis longum foret. Sufficiat  
 dixisse, naturam ipsam vires ac potentiam suam in illam  
 effudisse, imo urbis domus extruxisse, undasque cohibuisse,  
 ne in perniciosi Venetiarum maris fluctus altius assurgant  
 aut evagentur. Omnium vero maxime memorabile quicunque  
 illic videre desiderat, petat is sibi monstrari ipsorum  
 armamentarium, quod lingua sua Arsenalè vocant. Locus  
 is patet ad duo millia, in quo bellica omnia instrumenta  
 adseruantur, triremes navesque incredibili numero, indiesque  
 construuntur, planeque ego crediderim, Venetos omnibus  
 præferendos in instruenda numerosa ingenium triremium  
 ac amplissimarum navium classe; munitiones ac tormenta  
 bellica infinita habet. In iumentum excresceret oratio,  
 si altissimas turres, splendidissima templorum ædificia  
 atque ornamenta, magnificas palatiorum atque ædium  
 structuras, areas sive planities amplissimas juxta atque  
 inuendissimas recensere vellent: ne quid dicam de multis  
 artibus & commerciis, quibus urbs hæc facit totius mundi  
 urbes præcellit, legibus civilibus sapientissime constitutis,  
 decore utriusque sexus, aptitudine motum civillum:  
 Tempus & oratio me deficerent, si singula prodigitate persequi oratione

conaretur.

## CAPUT VII.

*De utilitate, propter quam aliquando homines  
in unum locum coeunt.*

**M**AXIMUM momentum ad promovendam atque conciliandam hominum cum hominibus adeoque loci alicujus habitationem habet utilitas, quæ vel maxime spectatur ab iis, qui locum aliquem incolere secû deliberant, proinde hac deficiente, non est quod speres, te multitudine incolarum urbem aliquam amplificaturum. Nullius siquidem auctoritas tantæ apud homines est existimationis, ut, nisi ptoposita utilitatis spe, unius hominis auctoritatem atque arbitrium sequantur.

Sed neque necessitatis tantum est protelum atque incentivum, siquidem collectio hominum talis coalescit duratque in plurimos annos. Necessitas vero, cum violenter agat, nihil producit durabile atque perpetuum. Quo fit, ut non solum civitates, quæ vi coactæ primum confluerunt, verum etiam principatus ac dominationes violenter constitutæ, non diu durent aut certe accessione civium ac incolarum minime augeantur. Proinde haud incommode conferri possunt torrenti è clivis sylvarum agorumve defluerenti nec habenti scaturiginem unde continuum habeat effluxum. Ut igitur facile succrescit, ita etiam facile decrescit; facile itinerantibus incutit timorem, facile etiam vicissim eximit. Exemplum satis luculentum præbent Tartari, qui Asiam diversis vicibus hostiliter invaserunt, Alexander Magnus, Attila, Tamerlanes Magnus, Carolus VIII. & Ludovicus XII Rex Galliarum.

Causa enim harum vicissitudinum talis assignari potest. Natura nostra sic comparata est, ut in rem suam cum sit intenta, sui que emolumentum studiosa, illa coactionis vincula,



eula, quibus vi metue constringuntur homines, facile disrumpat. Consimiliter enim ut plantæ, tamen si telluri satis alte defixa, nisi tamen ventorum spiramine; pluviarumq; humiditate foveantur, arescunt atque intermoriuntur: sic cohabitationes hominum vi coactæ, nulla emolumenta licijus spe proposita, facile flaccescunt ac dissociantur.

Sed neque sola loci amœnitas tanti est momenti, ut ob eam tantum multitudo hominum coalescat; homo enim ad labores natus est, ac natura aliquid operatur, hinc est ut plures negociiosi quam ociosi ubique reperiantur, atq; horum otium in negotiantium artibus & scientiis fundatur, laboreque ipsorum fruitur. Amœnitas enim nisi habeat adjunctam comitem, lucri aut emolumentum alicujus fructuonem, nihili aestimatur.

Cum itaque utilitas principalis imo principissima causa sit, propter quam homines coalescunt, hominumq; multitudo facile succrescat, & vero diversimoda utilitatis ratio sit, videndum nunc est, quænam ad multitudinem inhabitantium cogendam atque conciliandam accommodatissima sit: dicendumque, eam in loci situs opportunitate, soli fertilitate, atque apportandi avehendique commoditate sitam esse. De quibus omnibus sigillatim deinceps ordine tractabitur.

## CAPUT IIIX.

*De locorum situs aptitudine.*

Congruam locorum rationem eam appello, quæ ita disponit apportandi deportandique facultates, ut plurimis gentibus idonea fiat in commerciis, quorum copia est, avehendis, quorum defectus, apportandis, conditio. Eiusmodi locus, qui æque his opportunus atque illis, de utriq; æque participat, quorum æquam servat proportionem, ita ut exinde opum affluentia pari utriq; ratione mire excre-

scat & dilatetur. Quod si vero neutrum horum contingat, tamen si locus avehendis apportandisque mercibus commodissimus simulque pernecessarius sit, nisi tamen ibi sint, qui commercii dent operam, illac quidem peregrini transibunt, neutiquam tamen commerciorum gratia, cum nulla ibi vigeant, commorabuntur. Derbentum, in mari Caspio urbs sita, accommodato loci positu ita convenit in Tartariam & Persiam navigationi, ut an magis possit competere, quis dubitet: neque tamen unquam laudis nomen aliquod egregium hac urbs adepta fuit. Hoc qui fiat, merito quis quaerere possit. Non aliam profecto causam invenio praeter eam, quod nulla ibi vigeant commercia: sed transitum duntaxat praebet mercatoribus, qui non ut negotiosi institutores, sed ut viatores illac transeunt atque hospitantur. Et ut uno verbo dicam, necessaria quidem, ac sibi parum utili, rebus ita stantibus loci aptitudine sita, est.

Propter eandem causam, in Alpium angustiis, quae majori ex parte Italiam cingunt, media nunquam, multo minus amplissima civitas coaluit, quam creberrimum mercatoribus Gallis, Helvetiis, Germanis atque Italis illac sit iter, & nusquam fere viatoribus vacet.

Idem dici potest de plerisque aliis locorum opportunitatibus. Quam enim accommodam arbitraris Susam ex India solventibus & per mare rubrum Cayrum navigantibus? Quam necessarias D. Jacobi insulas, Palmam, Terzeram, Portugalesium & Hispanorū transfretationibus in Indiam, Brasiliam, Americam &c. putas? in praedictis tamen locis nulla unquam aetas hominum laudati oppidi mentionem fecit. Ipsum quoque accidit Daniae & Suediae interiectis insulis, idem quoque inter mare Germanicum & lacum Sabolanum interpositis. Vlyssinga loco situque Anglis ac  
Flami.

Flaminiis reliquisque non parvis nationibus tam idonea sita est, ut ejus ope nullatenus ad commerciorum hinc illinc transportationes carere possint: Nunquam tamen quantumvis commoda, urbs hæc celebritate commendata fuit, sed in pristino semper statu permanfit. Contra Venetorum & Genuensium urbes passim inclaruerunt, quoniam exterarum gentium opes ignotas sibi copiosissime apportatas commercantur, & non ut transitus peregrinis, sed ut nobilissima emporia variarum gentium sunt, & frequentissime inuisuntur. Eadem ratio est Lyfalonæ, Antverpiæ & aliarum urbium. Concludimus itaque ad incrementum civitatis allicujus ac populorum, non modo eam opportunitatem, cuius carentia esse nequit: verum etiam quæ finitimis nationibus ac populis magnopere profit & congruat, requiri.

## CAPUT IX.

*De fecunditate soli.*

**C**Ausam etiam inter alias non exiguam civitatum incrementis præbet terræ fertilitas, in qua sitæ sunt. Cum enim hominis vita duabus potissimum sustentetur rebus: victu scilicet & amictu, & utriusque horum æquum ex terra comparetur subsidium, non potest non soli fertilitas eximum ad hæc emolumentum conferre. Quo autem ipsius terræ fœcundior gleba, eo potior ad nostrum institutum fiet accessio. Et cum non omnis ferat omnia tellus, ea demum felicissima, atque ad conciliandam accessionem accommodatissima est ratio aut civitas, quæ rerum plurium abundat copia; hinc enim fit, ut minor sit eorum, quibus abundant alij, indigentia. Quæ sola causa sæpe permultos movet, ut patria relicta sedes exteras quærant. Hinc finitimis facilius ea, quorum apud nos copia superfluit, suppeditantur, quare ducti alij populi relictis suis sedibus eo se conferunt, ubi omnium rerum affluentia constat atque percipitur.

Sed neque sibi fertilitas per se & simpliciter ad civitatum populorumque incrementa satis est. Multae siquidem sunt regiones, eaque fertilissimae, quae tamen oppidorum incolarumque numero minime abundant. Sic Piemontū, quamvis omnibus Italiae regionibus, frugum, vini, jumentorum aliorumque esculentorum fertilitate, facile superior sit, incolis tamen minus abundat. In Anglia, excepto Londino, nulla est civitas memorabilis, licet ea natio omnium rerum copia atque ubertate abundet. De Gallia idem verum est; sola Parisiorum urbs & amplitudine mœnium & multitudine civium praestat, quantumvis non in usque adeo fertili aut commodo solo sita sit. Non enim tanta ibi est aemunitas, quanta Toureynae urbe, non tanta rerum abundantia, quanta Xantonge aut Poitiers, nec tanta fructuum varietas quanta Landedocke, nec tanta maris commoditas, quanta est apud Normanos, nec tanta vini copia, quanta apud Burgundos, nec tanta frumentorum ubertas, quanta apud Campanos, nec invenio, in quo sit aequiparanda civitati ac provinciae Orlens: quin etiam jumentorum multitudine Britannis ac Burges provinciae facile cedit.

Ex quibus perspicuum evadit, fertilitatem solam ad conciliandam incolarum multitudinem minime sufficere. Cujus ratio haec est: siquidem incolae, qui omnium rerum ubertate fruuntur, eaque soli fertilitate gaudent, ut si non singularum rerum ad sustentationem vitae humanae affluentiam, sufficientiam tamen penes se habeant, de aliarum nationum frugibus, adeoque ijs, quae in commercia veniunt, parum sunt solliciti, ijsque, quae patriam suppeditant solum, contenti, alienarum mercium rerumque, quarum in vita communi usus est, asportandarum curam plane abjiciunt, ac potius intra, quam extra patriam victui student, o-

meque extrayugantia studium intermittunt. Nam quor-  
sum Anteyras navigat ad consequendas gazas, quibus pa-  
tria uberissime affluit? Omnium autem eorum, quibus abun-  
damus, precium eo præstantius, quo hominum moderatio-  
est affectio, & quo minus voluptarum illecebris sunt dedita  
gentium ingenia.

Itaque exinde confectarium est bonorum affluentiam  
non sufficientem esse causam ad societatem populorum  
contrahendam, sed requiriti insuper singularem congruen-  
tiam, modam ac rationem in unum locum cogendorum  
quod per idoneam facilemque adportandi, deportandique  
conditionem, de qua in posterum dicemus, fieri aptissime  
poterit.

## CAPUT X.

*De apta advehendi deportandique opportunitate.*

**H**æc aptitudo partim terra, partim mari haberi potest.  
Terra quidem, quo superficies ejus magis est plana, eo  
facilior: quandoquidem merces & quidquid de inum mer-  
catorum est, exiguo negotio huc illucve possunt transpor-  
tari: quod fit variis vehiculorum generibus aut enim esse-  
dis, quæ equorum gestatoria sunt, aut petorito, aut id genus  
aliis adminiculis advehuntur devehunturque. Idonea quo-  
que profectio hominum magis tum est pedibus, caballis,  
rheda, aliisque modis, ubi nempe iter est planum.

Cæterum Portugaleses memorant, maximam in re-  
gno Chinæ esse camporum amplitudinem, in quibus sole-  
ant aurigari incolæ expansis velis, non secus ac si navigiis  
vehentur; id quod & in Hispaniæ quidam paucis abhinc  
annis tentavit. In aquis vero advehuntur devehunturque  
merces atque adeo ipsi insitiores, quando remigiorum pon-  
tus sustinere aquæ moles potest.

Inter duo hæc vehendi commoda, utrum præferendum sit, docet usus. Absq; dubio na vale iter terrestri multo prævalet: non propter facilitatem modo, sed & propter velocitatem. Nam appense breviori mora, parciorique impensa ac minore negotio, onerosiora quæque de loco in locum maritimo transvehuntur na vigio, quam plaustrali in terris rota.

De aquis navigabilibus jam ut dicamus: Primo sciendum non eodem pariter modo sc habere aquas: nam aut natura sic constituit & ordinavit eas, ut sunt mare, flumina & lacus, aut opera artificioque humano huc illucque sunt deductæ magno labore & impensis: ejusmodi sunt canales & alicubi stagna à stando sic dicta, quale erat Mircum Ægyptium, cujus ambitus quadringenta & quinquaginta millia parva continebat.

Ex quibus satis conijcere licet, quantam omnium rerum conditor Deus Opt. Max. in omnibus rebus, hominum rationem habuerit, & præcipue in usu aquarum. Est enim aqua elementum omnium maxime. tum ad vitam, tum etiam ad victum necessarium. Nam etsi aer magis præcordia spiritusque animales & vitales fovet, naturales tamen partes ac regiones corporis, aquarum fontes magis desiderant, eorumque usum majorem in omni cibo ac potu sentiunt; quin etiam Deus ter Opt. Max. aquas noxias ab innoxiiis, certis quibusdam notis distinxit. Aqua enim quæ est motu velocissima, limpidissima aspectu, levissima pondere, facilima concoctu, ab ortu solis ad occasum incitata, habetur omnium saluberrima; quæ ubi deest, ingenium humanum, instillante omnium rerum opifice excogitat artes, quibus aqua insalubris, per fistulas arenosas aut alio modo diducta & quasi decolata, purior & subtilior adeoque salubrior redditur.

tur. Sed & præter hunc usum, etiam alium maxime necessarium aquarum usum esse, nempe ad transportandas omnigenas merces, ex superioribus satis liquet. Sic enim divina ordinavit providentia, ut cum hominem animal sociale omnesque homines unius tanquam universalis cujusdam corporis membra esse voluerit, sua dona sic dispersitus sit, ut non omnibus ex æquo nationibus omnium rerum affluentiam concesserit: sic enim fit, ut dum alter alterius eget adminiculo, mutua illa animorum connexio coalescat. Id autem quo fieret compendiosius, aquarum fluctus ita divina sua & inscrutabili sapientia ordinavit, ut ad onera sustinenda adjuti ventorum flatibus & rudentum velorumque adminiculis facillime quæcumque transportare possent. Hoc medio facta est orientis, occidentis, meridici, septentrionisque apta dispositio atque amica conglutinatio. Parum ergo obstat, quo minus dicamus, omnem tellurem omnia æque producere, propter commodam illam a vehendi advehendique huc illuc oportunitatem.

Nunc, ut ad aquarum descriptionem propius accedamus, affirmandum censemus, mare ad ante memoratas commoditates esse aptissimum, & mercibus hominum de loco in locum transmittendis maxime congruum, secus vero lacuum reliquorumque fluminum navigationes: idque non modo ob immensam ejus magnitudinem, sed & propter gravitatem & ponderositatem tantæ aquarum molis. Admodum tamen parum in mari proficies, nisi habeas portus amplissimos, naviūque stationes tutissimas. Illos quidem, ut minus navis illidatur: has vero, ne procellarum turbinumque impetuositatibus percellatur concitaturve.

Cæterum omnium fere concursus sententia est, Bayonium omnium ventorum esse placidissimum, minusque ab co-

navi-

navigantibus imminere periculum; atque ad ejus compositionem ac cessationem, omnem maris tempestatem subito conquiescere. Contra vero Aquilonis impetuosiissimi esse flatum didicerunt, quibus aliquando maris tempestates exploratae fuerunt: in tantum enim, a sunt, septem tri-nales hoscce ventos concitare fluctus, ut requiescente etiam earum flatu, aliquandiu tremant; fluctuenteque huc illuc undae: quod summo salutis cum periculo in Venetiani maris sinu saepe numero navigantes experti fuerunt.

Porro portus marinos aut natura ipsa, artificiosissima opera conditrix; primitus struxit, quales visuntur Messinae & Marsiliae; aut ars sive industria humana obices quasi, contra ventorum imperus, struit, quales visuntur Genuae ac Palermi.

Sed & lacus, qui quasi exiguorum marium numero atque appellatione habentur, vel maximum possunt conferre ad conciliandam incolarum multitudinem; pro ratione nimirum cujusque loci amplitudinis variarumque commoditatum, quae ibi spectantur. Sic ad lacum Mexicanorum, in noya Hispania, qui ad nonaginta miliaria parva extenditur, quadraginta plus minus urbes populosissimae sitae sunt, e quibus amplissima urbs Themistitan, potentissimi hujus regni metropolis, ambitu suo tria miliaria magna comprehendit. Fluminum praeterea usus non mediocris est, eorum praesertim quorum lata est derivatio, praesertim per opulentas regiones, quales sunt: Padus in Italia, Scaldis in Flandria, Ligeris & Sona in Gallia, Danubius & Rhenus in Germania. Atque pari ferme modo, quo lacus cum marinorum sinuum conyallibus, quarum fabricatrix natura est, comparantur; ita canales & aquagia, ut vocant, quod ex uno lacu sive flumine in alium deducuntur, veris fluminibus opera huma-



humana æmula assimulantur. Antiqui Ægyptiorum reges fossam è Nilo ad usque Heroum urbem, quam dixerunt, duxere. Conati etiam sunt è mari rubro ad mare Meridianum canalem struere, atque ita nostrum cum Indico mari conjungere: quod cum in finem institutum, ut commoda navigatione mercimoniorum fieret transportatio, quo augesceret regni potentia. Nec semel scopulorum inter Tenedum & Chium perruptio & Ægei maris cum Jonico conjunctio attentata fuit. Sic Satrapas quidam Cayrinus aquarum ductus construi fecit, ab Euphrate fluvio in civitatem Alepo distam. In Flandria hujusmodi passim visuntur multis impensis, & maximo labore constructi canales, quorum tamen impensas, opportunitas atque immensa emolumenta exinde fluentia uberrime compensant.

In Lombardia plurimæ civitates hanc occasionem summo studio & labore nactæ sũnt: Omnium vero commodissimam ac fructuosissimam Mediolanenses. Etenim canali quodam, Romanorum haud inferiori ex Thesino & Verbeno lacu aquam ad se traducentes, maximas divitias, & innumeras exterarum nationum opes acquisiverunt. Alio deinceps canali ex Adda diducto quicquid frumenti ea tellus germinabat, facillime in horrea convexere. Quorũ conditio potior adhuc foret, si Pavia & Jureæ canales tandem aliquando sordibus atque impedimentis evacuarent. Inter hujusmodi autem aquarum ductus, & flumina, ea tandem ad deportandas merces maxime convenire censentur, quorum non modo per varias regiones est defluxus, quemadmodum supra dictum, sed & quorum maxima profunditas, composita lenisque fluctuatio, æqua latitudo, & denique spissitudo & densatio est aqua. Profunda esse congruit. Aqua enim profundæ majora ferunt onera, minusque imminet ab

ijs navigantibus periculum. Lenis non concitatus eorum  
 æstus si oportet; sic enim facili labore, quocunque libet,  
 navium cursus dirigi queunt. Proinde aquagia ex Thesino,  
 in Mediolanum traducta, non sunt tantopere commendanda:  
 siquidem ob velocissimum ejus decursum, quem aquæ  
 præbent sinus, multo labore atque opere nautico remigibus  
 in regressu opus est & sæpissime longissimum tempus in ad-  
 verso cum nausea & dispendio rerum teritur. Quod ad flu-  
 mina attinet, artificis naturæ mira apparet lenitas, Galliarum  
 Celticæ & Belgicæ exhibitæ. Tam mansueta enim fluminum  
 in Gallia Celtica & quæta est decursio, ut incredibilem na-  
 vigantibus præbeat delectationem: pleraque enim eorum in  
 planitie scaturiunt, proinde minus concitato feruntur cur-  
 su. Sed neque intra montium convallis decurrunt, nec bre-  
 vioribus cursibus finiuntur; verum aliquot centum millia-  
 ribus mira suavitate per planum defluunt. Quo fit ut a mo-  
 nissimum spectantibus præbeant spectaculum. Hic enim  
 extenduntur, illic contrahuntur aut contorquentur, non-  
 nunquam antrosum, sæpiuscule retrorsum concipino cur-  
 su fluunt, adeoque exercendi veluti atque efficiendi navi-  
 gantes speciem præbent: & quod maximum est, hac flexio-  
 ne decursuque vario, innumeras urbes atque provincias aut  
 foccundant, aut victualia usibus humanis accommoda im-  
 portant.

Omniū vero Europæ nationum tractus ille Galliarum  
 Belgicæ, Flandria dictus, aquarum commoditatibus atque  
 usibus maxime gaudet. Sunt enim ibi fluvii Scaldis, Mosel-  
 la, Tenora, & Rura: quique tribus ramis diffluens in Rhe-  
 num effunditur. Hi totam illam regionem undiq; circum-  
 fluentes, immensis opibus propter idoneam navigationem,  
 & incredibilem commerciorum frequentiam nobilitant.

Hac

Hæc una resupradictis regionibus multo est inferior Italia, Italia enim in longitudinem protenditur, angustus vero ejus latitudinis complexus montibus Apenninis in medio frangitur: quod causa est, quæ intempesto cursu immoderate decurrant ibi flumina. Fluviorum Longobardicorum communis fere scaturigo est ex Alpibus, ut sunt Thesinum, Adda, Laber, Serio, & Adiga: vel ex Apenninis montibus, ut sunt Tarro, Lenza, Panarus, Rheus. Tam breviusculo autem feruntur cursu, ut torrentes potius rivulive sylvestres, quam fluvii appellandi sint: repente enim in Padum qui Apenninum atque Alpes interfluit, effunduntur. Exinde Solus Padus navigabilis hæc regionem universam præterlabitur secundum longitudinem, atq; hac ratione nempe reliquorum fluviorum alluvie excrefcit, & longitudine sua, dum cæteros violento influxu illabentes excipit, intempestos eorum cursus moderatur. Sciendum & hoc est, antedictos fluvios ob brevem decursum, maxima cum æstuatione sese in Padum quandoque evacuare, quorum affluxu velociore usque adeo Padus excrefcit, ut etiam munitissimæ civitates in vicinâ sitæ sibi ejus impetum summopere metuant.

Verum flumina, quæ intra Romanorum fines aliasq; Italiæ partes ex Apennino monte instar torrentium sylvestrium utrinque decidunt, recto cursu in Adriaticum Tyrrhenumve mare feruntur; unde nulla mora sistendi cursu suum subitum illis datur, quo fit ut navigabiles nunquam efficiantur. Navicularum enim usus, qui in Arno fluvio aut Tiberi exiguo admodum decursu cernitur, nullius fere est momenti.

Cæterum plurimum etiam confert ad ferenda onera navigiaque transportanda spissitudo quasi ac densitas aquarum. Negari siquidem non potest, ad ferenda onera fluvios

alios aliis esse aptiores. Senna, Galliarum fluvius mediocri  
 amplitudinis, tanta sustinet onera, ut qui non viderit, incre-  
 dibile existimet: certumque est ac indubitatum, nullam to-  
 to terrarum orbe inveniri fluvium, qui magnitudinis pro-  
 portione huic correspondens tanta sufferre possit onera. Esi  
 enim mediocri duntaxat magnitudinis sit, omnia tamen  
 quibus Parisiorum urbs, ædificiorum simul atque inhabitans-  
 tium numero amplissima atque instructissima, opus habet,  
 hoc mediante illuc invehuntur apportanturque.

Verum hoc loco non incommode queri posset, qua-  
 nam causa sit, quod ferendorum onerum in aquis dispar sit  
 ratio: alia enim aliis ferunt majora atque graviora. Non-  
 nullis ea placet sententia: quod nimirum, ea aquæ multum  
 ex materia terrea habeant admixtum, per quam fluentes  
 spissentur crassaque fiant. Sed horum opinionem redarguit  
 Nisus, qui tantum materia terrea ac limosa secum trahit,  
 ut in S. Scriptura non nisi fluvius turbidus appelleretur: qua-  
 propter & unda eius non est potabilis, nisi prius in cisternis  
 bene perpurgetur: ad hæc humiditate sua terram non mo-  
 do perfundit & humectat, sed etiam pinguedine sua, instar  
 culturæ fertilem facit, atque excolit, neque tamen fluvius  
 hic quantumvis amplissimus, ad sustinendum in vecta usque  
 adeo est accommodus. Cui sententiæ astipulatur etiam  
 Plinius loquens de obelisco sub imperio Caii Romæ delato.  
 Porius ergo dixerim requiri ad hanc rem aquæ viscosi-  
 tatem magis, quam lutositatem. Illa enim quasi congluti-  
 natur atque conspissatur: & per consequens ad ferenda o-  
 nera fit aptior.

Unde vero, (querat porro aliquis) hæc aquarum di-  
 versitas oritur? Respondetur, ex duabus causis eam prove-  
 nire: Primum ex ipsa scaturigine, quando nimirum è loco  
 pingui,

pingui, putri ac viscoso scaturiens per locum ejusdem naturæ ac qualitatis decurrit. Fluvii enim naturam soli quod perfluunt, imitantur atque ad se attrahunt, quod ubi fuerit pingue ac viscosum, etiam aqua perluens viscosa ac pinguis redditur, fereque olei naturam induit. Hæc ergo viscositas à decursu aquæ, lentiore tamen atque breviorè, existit. Quod si enim aquæ cursus fuerit concitator, omnis viscosa materia dissipatur, undaque subtilis ac rara efficitur. Ad cuius comprobationem vel unius Nili defluxum in exemplum traxisse sufficiat. Is enim in bis mille milliaria (juxta mensuram lineæ rectæ, juxta obliquam enim lineam longè plura computarentur) extenditur subinde per scopulos atque altissimas rupes perlabens, quo fit, ut frequenter spuma aut guttula instar pluvialium ob impetuosum decursum in superficie aquæ conspiciantur. Hoc modo Nili unda in tantum attenuatur, ut subtilis profus reddita omnem viscositatem penitus deperdat, quam tamen Germaniæ atque Galliæ fluvii retinent: quippe qui ut plurimum è locis amœnissimis scaturiunt, solumque pingue ac viscosum perfluunt, quo fit etiam, ut neque impetuoso ferantur cursu. Hanc veram esse & nervosam causam, declarat aquæ supra citati fluminis Sennæ: quod si manibus loricibus ad faciem atteratur ad instar smignatis adhærescit & admirando ferme modo omnes naves & maculas eluit.

Cæterum & de aquarum latitudine dicendum aliquid restat. Ac primo quidem, ut fluvii sive canales, de quibus hic sermo est, satis amplam habeant latitudinem, id vel maxime requiritur. Sic enim naves commode possunt huc illic moveri, sic invicem sibi obviantes eedere, violentasque collisiones declinare possunt. Hoc tamen addendum, ad hanc latitudinem necessario etiam requiri profunditatem.

Hæc enim si desit, ad institutum nostrum minime quadrat, nec ullum navium usum admittet. latitudo absque profunditate. Hujus exemplum præbet Plata fluvius, qui ob nimiam latitudinem, ob vagum alveum inæqualiter profundus est, quin etiam salebrosis rupibus & parvis insulis abundat. Hanc ob causam flumina in Hispania minus navigiis frequentantur, quoniam lata est quidem eorum alvus, verum & plurimum salebrosa, proinde navigiis minus sunt accommodata. Atque hæc de fluviiis dicta sufficiant.

Cum itaque aquarum commoditas tantum habeat momenti, ad conciliandam in locum aliquem hominum multitudinem, consequens est, eas etiam urbes esse præclarissimas, quæ fluvios habent navigabiles. Ac sane infinitus hic foret sermo, si de inmensis commodis ac beneficiis dicerem, quæ urbes prope mare aliosve fluvios navigabiles sitæ præstant. Nam præter facilitatem exportandi atque importandi merces, accedit etiam opportunitas expugnandi hostes, itemque delectabilis vivendi ratio prope mare ac flumina, & perennis fructuum velut scaturigo, quæ à mari in urbem fluit. Hic enim situs lignea moenia in portu adversus hostem habet, hic situs commune quasi forum orbis terrarum habet, hic situs amœnitatem maris & fertilitatem telluris affert, hic denique situs infinita bona ab exteris nationibus in urbem vehit: Est ergo urbs hoc situ fortior, & excellentior, amœnior est, est locupletior.

Cæterum ne quis existimet, data deportandi condicione, statim sequi ipsam urbis alicujus amplissimæ fundamentum atque perfectionem: tenendum est, aliquid amplius adhuc requiri. Necessè enim est, ut evidens aliqua subsit utilitas, quæ homines ad coalescendum alliciat, ut & supra dictum est. Sic ubi commoda advehendi deficit opportunitas, ibi etiam minus frequens est incolarum numerus. Per-

spicuum id est in montibus, in quibus multa quidem numi-  
 tiones, nulla tamen populosa, conspiciuntur. Cujus hæc  
 est ratio, quod ea, quæ ad vitam humanam sustentationem sunt  
 necessaria, non nisi sumtuosis impensis & maximo labore  
 apportari possunt. Quid causæ est, quod Fesula habitatori-  
 bus orba, Florentia vero eorum multitudinè tantopere suc-  
 crevit? Hæc nempe, quod Fesula loco sublimiori & fere in-  
 accesso, Florentia vero in planitie adeoq; accessu facili, sita  
 est. Eadem de causa quoq; ex Romanis civibus ijs, qui mon-  
 tem Aventinum incoluerunt, eo relicto in planitiem aut  
 prope Tyberim sedes suas transtulere.

Unde vero illud, quod etiam ijs in locis, ubi commo-  
 da sunt rerum transportandarum opportunitates, necditi-  
 tamen loca illa incolarum numero abundant. Sic portus  
 maritimi, qui sunt Messina, multo præstant ijs, qui sunt Ne-  
 apoli. Duplo tamen major est Neapolis, si multitudinem  
 spectes, quam Messina. Portus maritimus, qui est Carthage-  
 na, longe superior est Genuensi, Genua tamen celebritate,  
 incolarum multitudine, omniumq; rerum affluentia Car-  
 thagena longe præstat. Ecquis vero aspiant portus amoeni-  
 or ampliorve est eo, qui est Catharo? Neq; tamen iniquam  
 locus hic civitate aliqua insigniori distans fuit.

Quid fluviorum præstantiam dicam? In Peru flumen  
 Maragonne sese explicat, cujus defluxus (mirabile relatu)  
 sex milia parvorum miliarium in longitudine continet, in  
 latitudine plus sexaginta miliaribus expanditur. Ibidem  
 Plata fluvius habetur, qui etsi longitudinè fluctuationis Mar-  
 ragonne cedat, plus tamen aquarum in sese recipit: cujus  
 latitudo in eo, quo in freta flectitur, loco, plus minusve cen-  
 tum & quinquaginta parvis miliaribus extendi narratur. In  
 nova Gallia visitur flumè Canada: quod in latitudine ultra  
 quinq; & triginta miliaria, in profunditate alibi queentis

ultas complectitur. Africa similiter celeberrimi sunt fluvii Senega, Gambea, Coanza; quorum posterior recenter in regno Angola inventus est, & ea, qua effluit parte, plusquam 35. milliaria continet. Neq; tamen omnium horum fluviorum ullus accolarum multitudinem est celebris. Ad Coanza fluvium vivunt in spelæis & cavernarum arborum latibus occultantur, in sodalitia quasi, cancrorum marinorum, locustarum, & id genus animalium, quæ crebra consuetudine mansuescunt, & domant.

Asia noti fluvii sunt: Menan, qui ipsorum lingua, mater fluviorum vocatur, & Meicon, qui ultra duo milliaria millia navali itinere frequentatur. Similiter fere se habent Ganges atq; Indus, ut & alii fluvii, qui aliquatenus accoluntur. Aliter vero se habet Obio fluvius, qui, tametsi omnium ejus regionis fluviorum maximus, nulla civitatis alicujus amplioris conterminæ accolarumve celebritate & multitudine prædicatur. Cumq; ea parte, qua in mare Scythicum effunditur, plusquam octoginta milliaria in latitudine contineat, non desunt, qui opinantur, mare Caspium, in hunc fluvium effusum in mare magnum sese emittere.

His positis adhuc dubitatur. Cum dictum sit ex commoda oportunitate loci & deportationum conditione, magnitudinem urbis esse metiendam, qui fiat, quod his conditionibus apparentibus, effectus non semper respondeat. Videmus enim multas urbes, quæ tametsi dictis commoditatibus aliis minime cedunt, amplitudine tamen urbium & civitatis negotiantium numero neutiquam sunt pares. Cujus ratio assignari potest, insufficientis nempe enumeratio requisitorum. Non enim sufficit comoda ultro citroq; transportandi oportunitas; sed præter hanc etiam aliud aliquid peculiare requiritur, quod homines ad mutuam societatem contrahendam alliciat. De quo subsequenti libello fusius agetur.



JOANNIS BOTERI

DE

## VRBIVM ORIGINE, MA-

GNITUDINE ET SPLENDORE

LIBER SECVNDVS.

## CAPVT I.

*Quarum rerum adminiculis effectum sit, locum aliquem  
inhabitari frequentius & qualiter hac in re se-  
se gesserint Romani.*

**H**Actenus DE OPORTVNO locorum situ, de soli  
feracitate, de comoda mercium com meatuumve  
transportatione dictum est, quæ omnia ad incremen-  
tum civitatum summopere conducere arbitramur. Jam  
quod restat, de his etiam videbimus commoditatibus, qui-  
bus allecti homines, inconditis alioquin præditi moribus,  
flexiles, ac sibi ipsis consulere nescii, locum quempiam ele-  
gerunt, quem potius, quam alium incolere maluerunt. Ro-  
manos primum speciatim, deinde generatim cæteros po-  
pulos considerabimus,

Primum ac præcipuum medium, quo usi primitus sunt  
Romani, hoc fuit; ASYLUM, quod libertatis refugique se-  
dem appellavere, extruxerunt, omnibusque ad id confugi-  
entibus immunitatem concesserunt. Cum enim Romulus  
finitimorum tyrannorum ac principum in subditos sævitiam  
atque ferociam animadvertisset, asylum hoc extruxit, quo  
sane vulgi animos ad Romanam civitatem mirifice allexit,  
facileque populosam reddidit; innumera enim fugitivo-  
rum aut bonis suis ejectorum multitudo hominum eo con-  
fluxit. Cæterum ex crescente virorum in urbe Romana mul-

M

titudi-

titudine, cum mulierum copia deficeret, Romulus missis per Hetruriam, Sabinamque legationibus, omni studio dedit operam, quo finitimos populos & matrimoniorum iure sibi devinciret, & urbis suae populariumque atque advenarum propagationi una confuleret. Cum vero illi utramque rem inimice invidenterque negarent, quos ægre ferrent novam urbem in caput ipsorum crescere, eaque ratione conarentur procreandis liberis obviam ire; sic artem arto iussit Romulus. Ludos se vovisse Neptuno cum simulasset, ad eos publice celebrandos vicinas invita vit urbes, spectaculo publice indicto. Igitur plurimi eo cum mortales concurrissent cum uxoribus ac nubilibus puellis, ubi tempus visum est, dato signo iussit Romulus ab ijs, quibus demandatum id fuerat, virgines rapi, quos post conjuncta sibi Herfulia, inter populares distribuit, celebratis solenni more nuptiis. Nam & ante nuptiarum diem honestissime eas habendas curavit, & ipse blande appellando, dum vim excusat, ac proliis cupiditatem in causam vocat, prætexitque honestum culpæ titulum, solari eas omni arte conatus est. Atque hæc sunt imperii Romani principia; quamque prudenter à Romulo excogitatum sit & actum, exitus ipse ac tantæ magnitudinis imperii declaravit.

Eadem fere ratio hæc nostra tempestate Genevensium civitatem tantopere adauxit, quippe qui omnibus passim Gallia atque Italia ob religionem ejectis hospitium præbuerunt. Huc referri potest urbs illa Germaniæ (Francorum vallem dicunt) permissu Casimiri Comitis Palatini noviter extracta à Belgis, qui ob religionem patriis sedibus ejecti fuerunt.

Cosmus dux magnus Toscana, cum Portum Feraio populis complere vellet, omnes exules patria sua propter commissam

missa flagitia ejectos, facta sponfione libertatis suscepit, qua re ingentem hominum multitudinem collegit. Hunc postea secutus Franciscus Casimirus filius hæres, Pisam & Livonium inhabitari curavit. Illud vero, quod supra monui, diligenter est animadvertendum, neque necessitatem, neque vim aut potentiam satis habere virium ad conciliandam in locum aliquem incolarum multitudinem. Etenim populus in unum locum coactus similis est semini trajecto in arva arenosa, in quibus ad maturitatem nunquam potest excrefcere.

Ut autem de asylo aliquid adhuc attingamus: certum est, immunitatem alicujus loci, vel aliquam, ad conciliandam incolarum multitudinem maximum habere momentum. Hinc est quod civitates liberae plerumque sunt populosiores ac fere ampliores, quam ea, quæ principibus subsunt, etiamsi in cæteris utrinque consentiant.

Porro alterum adminiculum, quo Roma accrevit, in eo est, quod civitates bene meritas, postea Municipia vocatas, jure civitatis, privilegiisque donarunt, & ad capeffenda munia admiserunt. Dignitas enim magistratus, jus civitatis & privilegiorum urbis, omnes eos Romam compulit, quibus suffragia, favores aut officia in Rempublicam collata ad dignitates & honores obtinendos spem aliquam injiciebant. Qui altiora ambire non audebant, minimam cognatos & amicos ad dignitatum fastigia aspirantes suffragiis, quoad licebat, juvabant. Hinc illa Romanæ urbis incrementa, hinc illa potentia & populo & opibus: quas mirum in modum auxerunt nobilitas aliique opulenti, quos quotidie magno agmine ad confluentum eo, jure civitatis donatos, Romanorum proceres illectabant.

Tertium adminiculum in eo situm fuit. Cum ingeni-

um humanum novis semper rebus inhiat, iisque mirifice afficiatur, summa Romanis cura fuit, qui hujusmodi hominum cupiditatibus satisfacerent. Hunc in finem subinde res novas quæque admirationi essent visentibus struxerunt atque instituerunt. Hinc illi ducum victorum triumphum magnificentissimi, hinc splendidissima illa ædificia, pugna navales, palastra, venationes peregrinarum ferarum, publica convivia, ludi Apollinares, seculares, alique incredibili pompâ & solennitate celebrati. Quo effectum est, ut dum hac Romanorum opera atque exercitia, omnia ad spectantium animos oblectandos accommodata, hoc modo continuarentur, & è vestigio sese quasi invicem exciperent, ad urbem Romam continue peregrini undequaque confluerent.

## CAPUT II.

*De coloniis Romanorum, quas Reipublica augenda causa, ex urbe in loca viciniora traducere interdum solebant.*

Quid denique de coloniis sentiendum est fueruntne est re Urbis Romæ amplificandæ? Quod ad augendam urbis magnitudinem & potentiam plurimum contulerint, nemo sanus (opinor) negabit: an vero per eas incolarum numerus creverit, vehemens adhuc sub iudice lis est: Mea tamen fert opinio, neque hic fuisse plane inutiles.

Videntur quidem per colonias alio translata civium numerus nihil augeri, sed potius diminui: at contrarium nonnunquam contingere docebo. Quemadmodum enim in nativo solo plantæ minus feliciter, translata vero uberius crescunt & multiplicantur; sic quoque humana proles intra patriæ mœnia vivens difficilius & alitur & propagatur. Jam enim peste, jam contagiosa lue correpta perit, jam fame compulsæ patriam, ac patrios lares deserit, jam lectissimi

fimi & fortissimi quique externis bellis, aut intestinis feditionibus aut cadunt aut exulant. Multos dira paupertas & rei familiaris angustia à matrimonio & prolis studio prorsum absterret. Qui itaque predictis malis Romæ alioquin absorpti sine liberis decessissent, illi coloniarum beneficio periculis exempti, commodis habitationibus & agris fruentes animum ad suscipiendam & educandam sobolem adjiciunt. Hinc sapius adeo crescunt & multiplicantur, ut loco decem centum videas succedere.

At quorsum hæc, inquit aliquis? Quomodo ablegati è patria, quam cives adhuc augere non poterant, augebuntur alio translati? Proclive admodum. Primo enim coloniarum cum matre, à qua exierunt, uno quasi corpore coalescunt. Deinde amor patriæ, quo quisque ducitur, & spes aliquando ad dignitates præ aliis ascendendi, aliaque ejusmodi, tanti sunt momenti, ut ingenis sublimioribus & nobilioribus, patriæ memoriam indefinenter refricent. Hinc evidentissima & populo & opibus patriæ incrementa emergunt. Anne enim quis negare ausit, quin triginta illis coloniis ex Alba Longa ceu de una stirpe deductis, ut & aliis, Roma deductis, permagna utriusque civitatis dedecori & potentiarum facta sit accessio. Cui vero insuper dubium esse potest, Portugalenses ab eo tempore, quo primum Lisabona egressi in insulas Astori, Capo Verde, Madera aliasque, ut eas inhabitarent ac colerent, majorem ad urbem Lisabonam accessionem fecisse, quam si nunquam sedes suas in dictas insulas transfulissent.

Hic autem requiritur, ut & ipsa ratio monet, ne coloniarum matrem amplificaturæ ab ea longius deducantur. Nimirum enim distantia patriæ amorem facile extinguit, adeoque rerum communio plane refrigescit. Hac causa moti Roma-

ni, a primordio urbis condita, nullas colonias extra Italiam intra septingentos annos deduxerunt: quas demum post tot annorum delapsum Carthaginem & Narbonam transfulerunt. Sed hic subsisto, cum in sexto libro de politica illustrium suo loco copiosius de his omnibus sit dictum.

Atque his præcipue mediis Romani potentia ac robore feliciter excreverunt, peregrinosque ad se abripuerunt. Restat ut promissis satisfacturi videamus, quid hac in re aliis nationibus fuerit usitatum. Initium autem de religione, quæ omnium rerum caput est, faciamus.

### CAPUT III.

#### *De religione fideisque negotio.*

**T**anta est vis, tantaque necessitas religionis, ut procul dubio non tantum multos in sui amorem pertrahat, sed etiam multorum commerciorum dux & caput existat. Urbes, ubi cultus religionis est floridior & præstantior, faciliorem quoque & illustriorem habent aditum ad potentia & gloria accessionem.

Hierusalem ut tradit Plinius fuit orientis urbs antiquissima & florentissima, tam religionis Deique cultu, quam totius regni respectu; utriusque enim metropolis erat. Hierosolymis vivebant Summi Pontifices, Sacerdotes, Levitæ; peragebantur ibi sacrificia, volebantur Domino vota, omnis fere populus Israelis ibi quotannis ter conveniebat. Scribit Iosephus Hierosolymam, quando a Tito Vespasiano obsideretur, circiter viginti, quinquies centena millia hominum fuisse: numerus sane immentis & ferme incredibilis, si urbs ex ambitu, qui quatuor milliaribus paulo fuit amplior, æstimeretur. Sed credendum viro perito & scienti, quemque omnis occasio mendacia comminiscendi defecit.

Jeroboam Rex Israelis factus mature perpendens sine  
cultus

cultus divini & sacrificiorum exercitio non diu staturum imperium, metuensque, ne populus Hierosolymam religionis & sacrificiorum ergo confluentis cum Judæ reconciliatus in Regis Israelitici necem conspiraret, ommissa vera religione idololatriam instituit. Conflatis enim duobus aureis vitulis & in fines regni Israelitici collocatis ad multitudinem conversus, *Satis*, inquit, *iam ascendistis Hierosolymam, En Dytui Israel, qui te ascendere fecerunt de terra Aegypti.*

Magna itaq; religionis vis est in amplificandis urbibus, ditionibus, in illectandis peregrinis: quod cum Jeroboam cognitum haberet, ut tribus decem Israeliticas, quibus imperitabar, suo dominio cœrceret, veram religionem idololatriæ permutavit. Hic suo scelere omnium primus delinuerit, qui cupiditate dominandi debitum honorem & cultum Dei magno cum dedecore missum fecit, posteritateque sic supplantatæ malo exemplo præluxit, non tam stultitiæ, quam extremæ impietatis nota insignis.

Non desunt, qui nimia sibi scientia in constituendis imperiis arrogata gloriari, imò publicis scriptis docere audent, utilius esse principi subditos recte cœrcituro humana ratione rem tentare, quam consilio divino. At quos nulla veracundia, hæc ut adstruant, tangit, sciant se præsentissime veneno, tanquam peste principes fallere, imperia & principatus corrumpere, orbem Christianum offendere, capitales esse ecclesiæ hostes, imò ipsius Dei, contra quem novam turrim Babylonicam ut de Gigantibus legitur moluntur, sed non sine confusione sui & pessimo interitu. Nam

*Ipsorum facta atque minus ridebit mares*

*Qui super cœlos & super astro sedet.*

Attendite, o Principes Jesaiæ vaticinium de Pharaonis consiliariis, *sapientes*, inquit, *consiliary Pharaonis insipientes de-*  
derunt

*derunt consilium, deceperunt Aegyptum angulum populorum eius, Dominus miscuit in medio eius spiritum vertiginis & errare fecerunt Aegyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens.*

Quod si mihi liberum esset, facile indice quasi digito monstrarem, quomodo plurimi ordines Christiani orbis hac pravaricatione & peccato, conciderint, ac se suosque ab auxilio & gratia Dei abalienantes flagello iustitiæ divinæ Turcas & gentes in sese sæpe numero armarint, Sufficiat hic admonuisse principes, qui præpostero illo gubernandi modo legem Dei quantum in se est conculcant, ne unquam ex memoria tristissimum magistri sui Jeroboami interitum abjiciant, sed respiciant, ut alieno cauti malo periculis eximantur. Posteaquam enim execrandi regis execrandam impietatem non amplius ferret Deus, excitavit Baasan filium Ahiha, qui facta conspiratione Nadabum Jeroboami filium trucidavit regnumque occupavit pro eo. Factumque est, cum ipse regnaret, ut percuteret universam domum Jeroboam, ut nihil spirans de Jeroboam faceret reliquum, donec deleret eum, juxta verbum Domini. Sed progrediamur.

Religio cul. usque divinus, constansque divini auxilii in loco aliquo videntis opinio ad alliciendos illuc homines maximum habet momentum. Inspice & testes habebis locupletissimos Loretum in Italia, D. Michaellem in Gallia, Guadalupen, Monferratam & Brigantium in Hispania, quo quotidie magnus undique est concursus omnium nationum vel longissime remotarum. Omitto jam solitudines, cremitarum tuguria aut speluncas potius, quæ non minus singularibus animorum devotionibus passim frequentantur.

Penitius autem rem introspecte & minus admirabilis videbitur. Quid enim majus, quid potentius, quid efficacius ad al-



ad alliciendum & vi quasi attrahendum ipso summo bono, qui est Deus? Hic anxie desideratur, indefinenter expectatur & quaritur ab omnibus creaturis tam animatis, quam inanimatis. Eum enim tanquam summum finem ad unum omnes spectant. Levia summum hoc bonum supra in sublimi quarunt, gravia infra in terra; cœli concava ac orbiculari sua periodo, nascentia terræ floribus & fructibus, animantia speciei conversatione, homo tranquillitatem conscientia æternique gaudii quarendo.

Cum vero summum bonum sua essentia tam sublime sit, ut sub intelligentiam nostram, tamque lucidum, ut sub oculorum sensum non cadat, qui vis eo se convertit, ubi divina potentia quoque modo enitet, vires suas exerit aut singulari auxilii ratione præsentem Deum declarat, in montes, in solitudines aut aliquovis. Quid enim? annon se in societatem amplificatæ Romæ ingerunt, martyrum sanguis, reliquæ sanctorum, loca sancta & in divinis suprema iudicandi potestas? Annon aspera & inculta jaceret, nisi quotidie locorum sanctitas & religio infinitos homines ab extremitatibus mundi eò pertraherét? An non deserta pateret, nisi sedes Apostolica, clavium potestas sede ibi fixa multa millia hominum dulcedine sua delinita, quotidie eo abire cogeret? Mediolanum, urbs populosissima volens nolens testatur, quanta honoris laudisque decora sibi parta sint ex insigni pietate eximii illius Cardinalis Borromæi. Ab extremis mundi septentrionalis plagis eo convolabant principes, quinetiam quibuslibet subortis dissidiis Episcopie, us discretionem ac iudicio unice stabant: & quid multis? Omnium nationum clero Mediolanum patria erat, domus divi tutelaris pro portu tutissimo, liberalitas ejus pro tuto refugio vita ejus transacta pro nitidissimo speculo & exemplari habebatur, ad cujus formam omnes ecclesiæ essent componendæ.

Molestus forsitan lectori sin, si longior velim esse in decantanda laude, qua Synodos coegerunt tam publice quam privatim? unam tertio quoque anno, alteram quots annis. Quot illi erexerunt templa? quot collapsa refecerunt? quot novis redivibus donarunt? quot eorum monasteria? quot studiosorum collegia, ex quibus tanquam ex equo Trojano tot presbyteri adeoque spiritalcs prodierunt? quot Academiae maximo totius regionis bono aperta? quot & quantae artium artificumque ac commerciorum laudatissime promotiones? Quod si, ut iterum dicam, tantam recensere velim, quo pacto una cum propaganda religionis studio fines urbis Mediolani extenderint, in infinitum abiero. Itaque haec omitto.

Sed proh dolor pauca admodum numero sunt hodie civitates aut principes, qui hoc nomine jure commendentur. Ubi enim hodie Numa Pompilius, qui tot Roma augurum collegia? ubi Constantinus, qui tot sacra gymnasia struxit? ubi Theodosius, qui tot vectigalia? ubi Justinianus, qui tot privilegia dedit. O tempora! in quam aetatem mundi, in quot mores incidimus? Sed velum obduco coloribus meis, ne se multi nigro carbone in his tabulis notatos videant: illos innuo, qui spoliis ecclesiae & sacrilegiis ditati sacerdotibus victum, ecclesiae censum, pauperibus, viduis, & orbatis cibum, ignorantibus veritatis lucem, desperantibus salutis anchoram sustulerunt. Sed quid miror? Religio divitias peperit & filia devoravit matrem. Non potest ergo non seges esse deinceps, ubi Troia fuit, Babelque & confusio nimis superba excelsa & certo concidit.

#### CAPUT IV.

##### *De studiosis & scholis.*

**P**Lurimos praecipue studiosos in urbes, quarum magnitudo no-

do nobis jam proposita est, adducit celebris & docta schola. Duo enim, si proprie loqui volumus sunt adminicula, quibus intelligentes fortesque viri ad fastigia honorum perveniunt, Libri & Arma. Quorum illi in Academiis chartis & calamo, hæc in aperto campo gladijs & hastis tractantur.

Cum vero humanum genus duobus potissimum ducatur, gloria & utilitate, & vetò liberaliuna artium quædam artes divitias, quædam nominis existimationem adferant, est profecto, ut in urbe, de quâ hîc loquimur, sit Academia talis, quæ studiosam juventutem certis propositis commoditatibus sui amore vehementius accendat, ita ut potissimum eo nomine à pluribus diligatur & seligatur, potiusque hanc quam aliam frequentare studiosa juvenus malit Academiam. Id autem sit, cum ad scholæ & artium commoditatem peculiaria quædam & honesta privilegia insuper accedunt. Honestæ ideo dico, ne licentiam dent scelus scelere impune accumulandi, quod privilegium turpitudinis dicunt, sed ut habeant ansam alacriter sine impedimento studijs invigilandi.

Etenim magno cum labore omnis studiorum ratio est conjuncta & corporis & animi. Hinc veteribus Dea artium sive sapientiæ Minerva dicta, quod animi meditationes & lucubrationes nervos imminuant, adeoque vires corporis incidant. Plerumque autem affecto corpore animus quoque afficitur & turbatur. Equum itaque imo necessarium est, ut studiosis honesta sint privilegia, quibus animus lassus reficiatur; spiritus autem recreati majore cum ardore ad studia denuo ferantur.

Non autem, ut ante memini, indulgenda est petulantia licentia, quæ tamen Academiis Italis, ut conceditur, ita exercetur. Ibi calami in pugiones & atramentaria in thecas

pulveris bombardici abierunt, disputationes in cruentas cædes, scholæ in propugnacula pro lubitu quidvis audendi; academici autem in homicidas mutati sunt. Invisi ibi habetur honestas, verecundia & castitas dedecori, adeo ut studiosus vere studiosi vitam honestam nempe & modestam victurus nihilo plus efficiat, quam si seipsum in extrema pericula det præcipitem. Dolendum certe; sed abrumpo querelas. Illud saltem dicam; fieri non potest, ut Academia ulla efflorescat, aut justam laudis maturitatem assequatur, nisi ab alea & armis nocentissima, utraque peste radicitus sit repurgata.

Franciscus I. Rex Galliarum magno agmine Lutetiarum studiosos confluere deprehendens magna animi cura edicere coepit, qui studiosis honestam pararet recreationem. Designatum itaque est ingens pratum prope urbem ad aquam situm, ubi esset solitaria & jucunda à studiis recreatio. Hic se exercebant, hic luctando, ille saltando, hic cursitando, ille pila ludendo, quibus non tam sibi quam alijs qui spectatum aderant, oblectamento fuerunt. His concessis strepitus armorum & tesserarum conticuit.

Porro etiam in loco Academiarum destinato temperata & salutaris sit aeris constitutio, amœnus situs, aquis, fontibus, sylvis & campis undique arridens. Fac enim deesse cœtera hæc solæ tamen studiosos morantur. His omnibus insignes olim erant Athenæ & Rhodus, adeoque studiorum ibi vegetissimus vigor.

Galeatius Vicecomes primus erat, qui Academiam Patavii celeberrimam redditurus animo ad prædictas amœnitates in primis adjecto edicto vetuit, ne quis è subditis studiorum gratia alio se conferret. Hoc ipsum nonnulli Italiae principes sunt secuti.

Verum

Verum magnam hoc parit diffidentiam & fastidium. Optimi autem vasalli retinentur & peregrini invitantur commoditatibus ad honestas animi recreationes & commedatus abundantia si insuper privilegia facta tecta conserventur, defensentur, usurpentur, si ad quosvis studiorum honores aditus pateat, si eruditioribus certi iique honorifici tribuantur gradus, si vita bene acta sua sint præmia, suus locus & in primis si copia sit professorum eruditorum. Non erubuit Pompeius Magnus scholas bene constitutas intrare: domita enim Oriente scholam Rhodi, ut professores audiret profitentes, ingressus legitur. Sigismundus Rex Polonia gravissimis causis motus edixit, ne quis vasallorum suorum extra regnum studiorum gratia vagaretur. Qui sic? ais. Ne videlicet dogmate illo, quod sub Rege Sigismundo revixit, & fere omnes septentrionales imbuit incenderentur.

Cæterum Academiæ tollere artiumque scholas prohibere, tyrannicum plane ac barbarum est. Sunt enim Academiæ & artes lumina & fontes sapientiæ, à quibus splendor & sapor virtutis in omnes partes Reipublicæ fluunt, suntque insuper Academiæ velut Musarum orbis & artes sidera in illis fixa: at nisi orbis suum motum, sidera suam lucem habeant, quæ vita rerum, quæ influentia erit? Præterea ut oculi sunt in corpore, ita Academiæ & artes sunt in civitate, atque ut oculi omnia membra corporis, ita Academiæ omnes Reipublicæ partes illustrant. Quin etiam contra jus naturæ ac rationis est, Academiæ tollere: natura enim confusionem, ratio ignorantiam fugit, quæ tamen duæ sublati Academiis artiumque scholis sequuntur necessario. Quæ enim cognitio rerum sine arte, quis ordo sine toga, quæ administratio civitatis sine doctrina & sapientia esse potest?

Porro quid magis licentiam morum, perturbationum rerum,

barbaritatem plebis, tyrannidem principis gignit, quam bonarum literarum naufragium & casus? Sic truculenti olim carnifices Athenas (fastum totius Græciæ, sydera & lumen) penitus extinxerunt. Sic Julianus funestus apostata Christianorum gymnasia sustulit, artiumque professoribus silentium iussit. Sic in Hungaria aliisque eximiis mundi partibus (quas Mahometes vicit) Academia, scholæ & artes immanitate oppressæ jacent. Norunt enim crudelitatis monstra, Palladem & tyrannidem, amorem artis & Martis furorem sapientiæ lumen & ignorantiam, studium virtutis & odium civitatis simul cohabitare non posse. Multa hic alia se offerunt argumenta, quibus probetur hæc causa, sed infinitum esset hæc omnia, quæ velim, de re tanta scribere, pauca tamen addam, si non sim molestus, nempe à tempore, à testimonio, ab exemplo. Constat enim omnes scientias post diluvium columnis lapideis insculptas posteris apparuisse; constat Deum, solem, lunam aliaque cœli lumina dedisse in signa temporum, probabile ergo est primam ætatem honorasse Astronomiam. Constat Tubalem Adami filium invenisse Musicam, constat Chaldaeos in omni arte fuisse instructissimos, Nihil hic dicam de Moyse aliisque gubernatoribus filiorum Israel, qui omni scientia Chaldaeorum ac Ægyptiorum fuerunt imbuti. Nihil hic de Samuele cæterisque Prophetis, qui Rama Gilead sua collegia & Academiam habuerunt. Nihil hic de Paulo, qui disputando sæpe in schola cuiusdam Philosophi nomine Tyranni, adeoque Athenis non contempsisse sed approbasse venerabile nomen Academia videtur. Nihil de Constantino, Theodosio aliisque vere augustis Imperatoribus, qui scholas, collegia Academias magnifice extruendo, Ecclesiam Christi plurimum propagarunt; omnesque adeo ætates hominum Academias & artes

res approbarunt. Coeterum rationes à testimonio & exemplis tacitus hic nunc prætereo, nam adhuc hodie florent ubique Academiae, vivunt doctissimorum hominum ingenia, monumenta majorum palam & aperte hanc rem loquuntur, plenæ historiae, pleni annales sunt illorum laudibus, quas malitia nulla delebit, ætas nulla conticescet. Sed brevitati studeo, aliter hic potuissim quidem urgere, quod nihil magis barbaritatem, vim, perfidiam, licentiam vitæ, hæresim, atheismum & confusionem omnium parit, quam scholarum & Academiarum defectio. Si ergo iusti, si pii ac religiosi esse velint principes, non tollere sed fovere, non evertere sed conservare debent Academiae, in quibus splendor Regis, honor civitatis, amor virtutis, omnium bonorum sapor ac influenza inest. Perniciosa ergo vox ista & plane tyrannica: Tollantur scholæ, tollantur Academiae. Imo oraculum hoc sit: Vivant scholæ, vivant Athenæ, artes ac scientiæ, quæ sunt radij divinæ sapientiæ ad gloriam beatæ Triadis in sempiternum vivant. Pius est, qui assentitur, improbus qui non acclamat: Amen.

## CAPUT V.

*De loco tribunalis.*

**O**Mnis vitæ nostræ, famæ ac fortunarum salus in arbitrio iudicis sita est. Cum enim dilectio in hominum animis ubique deferbuerit, inque ejus locum malitia ac protervia fere successerit, male sane nobiscum ageretur, nisi spem in æquanimirate iudicis repositam haberemus. Hinc urbes in quibus gravissimi, prudentissimi ac iustissimi senes tribunali insident, qui ad sedem sine pompa, ad causam sine fraude, ad sententiam sine motu & ardore animi accedunt, plus & frequentantur & inhabitantur non tam frequentia litigantium, quam etiam eorum, qui clavum imperij tenent, quo  
refo-

referuntur Præsides, Consiliiarii, Advocati, Procuratores, Solicitatores, Notarii. Memorabile autem est, non quidem ad imitationem sed ad execrationem, quod sola præsens pecunia processum juris hodie, pro dolor, expedite absolvit: nihilque adeo in toto terrarum orbe invenias, quod ad incitatioem cursum concitet, quam argentū currens. Non tam ad se ferrum magnes attrahit, quam aurum oculos iudicum inflectit. Cuius hæc censetur ratio, quoniam aurum ratione valoris atque facilitatis acquirendi, dignitates & commoditates omnesq; fortunas in se complectitur. Summatim, qui ære abundat (ne quid gravius dicam) omnia mundana possidet.

Hinc summa illa tribunalia, quæ primitus quidem ad hoc sunt constituta, ut casus quidam reservati tam criminalium, quam civilium earumque graviorum causarum inibi deciderentur, id quod etiam Dominus ad Moysen loquitur Exod. cap. 18. *Provideas, inquit, de plebe viros prudentes & timentes Dominum, in quibus est veritas, & qui odierunt avaritiam & constitue ex eis tribunal & centuriones &c. qui quid autem minus fuerit, referent ad te & minora iudicabunt.* Tum vero etiam, ut ad hæc tanquam asyla à corruptis, indoctis, maleque affectis iudicibus confugiatur, ut ibi corruptæ aliorum iudicum sententiæ, aut revocentur aut moderatione quapiam leniantur. Sed & hæc hodie ubique fere privata commoda redolent.

Ubi que fere locorum hæc ita observantur, potissimum ubi causæ forenses ex jure communi deciduntur: hic enim processus longius extenditur pluresque ministros requirit. In Anglia, Scotia præcipue autem in Turcia, ubi admodum brevis & stricta est juris via ac iudex in uno tanquam vestigio insistentis super lite deducta sententiam profert, parum proficitur



citur ad amplificandam urbem. Causæ enim quantumvis arduæ & sublimes intra dimidium diem, modo adsint probati & sufficientes testes absolvuntur, præciduntur ibi longiores termini, nihil valent instrumenta, nihil processus, nihil præfecti. Pauca admodum suscipiuntur, quæ non quamprimum finiantur: brevius hic adhibetur tempus, minores sumtus, pauciores Jureconsulti, quam in jure civili Romanorum. Hæc vero non eo à me dicuntur, quod velim judicia differenda, terminosque dilatandos. Qui enim longiores quarunt exceptiones dilatorias, ubique prætendentes periculum ne videlicet cui injuriâ adferatur, non possunt, quin sint iniqui. Nostra itaque urbs, de qua in præsentem loquimur, summum tribunal & pro eo actiones juris & justitiæ executionem requirit.

## CAPUT VI.

*De eruditione.*

**L**ibro octavo de politica illustrium, ubi sermo erat de amplificandis ditionibus, prolixè egimus de artibus & eruditione humana, de variis commerciis & negotiis, quæ in civitatibus ac regnis vigent: eo itaq; benevolus lector brevitas studio esto remissus.

## CAPUT VII.

*De privilegiis.*

**H**Ac nostra tempestate subditi à principibus avaritiæ immeritis aut alia necessitate urgente adacti ita premuntur, ut vel minimam spem qualiscunque immunitatis ambabus, quod ajunt, amplexari gaudeant. Videre hoc est ex mercatibus & nundinis, quas catervatim mercatores, institores, propolæ, frequentant, solum eò, quod oneribus carent. Inspiciantur hodierna Neapolis incrementa & ædificiis & populo: unde vero illa tanta tamque egregia? ex fo-

lis privilegijs, quibus cives gaudent. Quid, quod majoribus finibus amplificata esset, nisi peculiaribus rationibus, potissimum, quod viciniae incolis destituerentur, magna enim principum querela Rex Hispaniae gravi edicto vetuisset, ne quis novas aedes ibi extrueret.

Civitates Flandriae commercijs celeberrimae in tota Europa fuerunt: ratio praecipua sicut est in privilegijs & immunitatibus à vectigalibus; per exiguum enim vectigal de commercijs pendunt.

Non infrequens fuit ijs, qui urbes aut extruxerunt aut inhabitandas dederunt, praclaris privilegijs eas aut minimū primos incolas donare. Secuti hoc sunt, qui urbes vacuas aut peste exhaustas aut Marte vastatas aliove Dei flagello exinanitas restaurarunt. Pestis, quae teste Bocatio in Italia ad triennium grassata est adeo saevit, ut à Martio usq; ad Julium Florentiae circiter centum milia e medio sublata peremerit: Venetiis tot deciderant, ut urbs fere desolata staret. Unde effectum est, ut Senatus necessum haberet, novos incolas adsciscere; quos publico Senatus jure civitatis omnes donabat, qui cum familia eo migrarent bienniumque ibi commorarentur. Porro eadem Venetiana Respublica aliquoties ab extremis periculis famis ac inopiae vindicata est, dum eos qui frumenta advehabant privilegijs donabant.

#### CAPUT. II. X.

*Certa commercia sunt tractanda neque temere abjicienda.*

**P**Opulissimam reddunt urbem certa commercia & eorandem diligens studium: id quod maxime florere potest, cum patrium solum illas merces aut omnes aut maximam partem aut sane potissimas gignit, aut cum nullibi copiosior aut praestantior inveniri potest. Sic sola insula Molucca

Iucca profert cariophyllum, Sabæathus, Palæstina balsamum. Plurimum piper fert Calecutia, Zeilan Cinnamomum, atq; alia alibi. Præstantissimū sal generatur in Cypro, saccarū in Madera, lana in quibusdam civitatibus Hispaniæ & Angliæ. Huc accedit præstantia artium, quarū exercitationes aut ratione aquarū aut studii in ijs collocati aut reconditæ & abstrusa scientiæ, quā soli incolæ callent, hic quā illic, ut frequentiores sic sunt meliores. Sic optima arma suppeditat Damascus & Scyras, elaboratissima Aulæ Arazus, holosericum Genua, aureas texturas Mediolanum, & si quæ sunt alibi alia elaboratiora.

Non hic sicco, quod ajunt, pede prætereundum, commercia, mechanicas, artesque fere omnes omnium optime in China florere, idque multis de causis, quarum hæc apprimè notandæ. More receptam est apud Sinaitas, ut filii easdem artes, quas parens addiscant & profiteantur. Hinc quasi cum lacte materno paternas artes & commercia imbibunt: non est, quod parens eos celet, quin paterna affectione instruit, informat, nulli neque diligentia neque labori parcens. Hinc omnes artes artiumque opera tantam assurgunt perfectionem, ut nihil quod in ijs desideretur invenire liceat. Probant hoc labores, quæ China in insulas Philippinas, & hinc Mexicum, tandem vero Seviliam advehuntur. Sed procedamus.

Sunt etiam nonnullæ urbes, in quarum potestate certæ mercēs versantur, non quidem quod sua ipsorum telus illas effundat, aut ab incolis elaborentur, sed quod don inantur aut finitimis locis ac regionibus, ut, Sevilla, quo immensa opes ex nova Hispania & Peru advehuntur, aut mari, ut Lisabona, qua nemo prætervehi potest nisi Lisabonensium salvo conductu & venia. Hac ratione piper Cöcinentis &

cynamomum Zeylanensiaque opes Indicas sibi vindicarunt. Eodem modo ante annos nonaginta Venetiani aromatum commercia fere profus ad se pertraxerunt. Hæc enim (antequam Indiam occuparent Portugaleses) trans mare Suezam & hinc camelis Cayrum Niloque Alexandriam asportabantur. Eo suas triremes Veneriani amandabant ad vestra aromata coemtum, quæ deinde non sine maximo lucro Europæis passim vendebant.

Verum illa commercia hodie (plane in Lisabonenses derivata sunt. Eo quæcannis (in Lisabonam nempe) nova via nuper ad inventa ingressi Portugaleses aromata, Turcis & Æthiopibus quasi ademta, divendunt Hispanis, Anglis, omnibusque septentrionalibus. Tam autem fructuosum hoc est commercium, solum ut sufficeret dividenda Portugalliæ.

Sunt & aliæ urbes, quæ omnes fere negotiationes, pluribus nationibus peritiles ad se pertrahunt, unde pro emporiis vulgo habentur. Tales sunt in oriente Malacca & Ormus; in mari mediterraneo Alexandria, Constantinopolis, Messina, Genua; in mari septentrionali Antverpia, Amsterdamum, Dantiscum, Nerva; in Germania Francofurtum ad Mœnum, & Norimberga. In his aliisque pluribus multi opulentissimi mercatores sua commercia exercent, emporia constituunt, quo finitimi deinde se conferunt, non tam quod ibi cuncta venalia prosint, sed quod vectura commoda habeatur. Eiusmodi occasiones habentur, ubi magni sunt portus, ubi flumina navigabilia aut urbem perfluunt aut præterfluunt, ubi stagna sunt, alveique alio translati, ubi viæ & planæ & turæ. Quoniam verò hic mentio incidit viarum publicarum, non possum præterire duas illas vias, quas reges Cusci, (suo idiomate Ighhe vocant,

cant, ) per suam ditionem decussatim patefecerunt. Pro-  
tenduntur ad duo millia milliaria parva, amœnitâte sua,  
commoditate, plantiæ tam insignes, ut nihil viis Romano-  
rum in historiis celebratis concedant. Videas ibi montes,  
uti & valles, plantiæ molim impedientes nunc æquatos, alti-  
tiora saxa petrasque discussas. Videas ibi arbores utrinque  
tanquam ad amissim sitas, magna cum oblectamento co-  
rum, qui iter illac faciunt. Umbra earum dulcisque avium  
concentus viatores mire afficit. Videas ibi plurima diver-  
soria in quibus pro hospitantibus, benevola & parata non  
desunt palatia, lautaque ædificia, quæ decore suo omnes in  
admirationem convertunt. Videas ibi amœnissima oppi-  
da, vicos, suavissima tempe, aliaque infinita, quæ variis co-  
lorum pigmentis oculos gratissime pascunt, ac naturæ va-  
rietate artisque additamentis incredibili jucunditate ani-  
mum spectatoris afficiunt & perfundunt.

Cæterum maximum in eo situm est momentum, ut  
princeps regionis suæ ingenium, situm & naturam teneat;  
sic enim naturæ iniquitatem commodius tollet. Sic boni  
principis est, ut exemplis declarent, poras munire, vallis  
aggeribusque obfirmare, commoditates mercium expor-  
tandarum & importandarum parare, mare à piratis repur-  
gare, flumina navigabilia reddere, commoda & apta em-  
poria extruere, vias munire tam eas, quæ ad montes quam  
quæ per campi plantiæm vergunt.

Ex hoc magnam laudem Sinaitarum reges captarunt.  
Incredibili enim sumtu regni sui vias lapidibus struunt, ma-  
ximosque fluvijs pontibus, conjungunt, editiores montes  
& saxa perfringunt, plantiæmque lapidibus instruunt, quo  
ipso tam æstâte quam hyeme equiti juxta ac pediti facili-  
mum præbent transitum.

Hoc in genere gravissime quidam Italiae principes errant, quorum via adeo inæquales & iniquæ sunt, ut profunditate luti non raro equi & carri impediti immergantur. Hinc mercimonia difficilime eo transferuntur, & viatores intra triduum minus via spatium quam alibi uno die conficiunt. Idem videmus in Gallia multis in locis, ad Augustodunum præcipue, in Xantogia, in Beaussia, in Burgundia & alibi. Sed sufficiant hæc: non enim est nostri instituti de celeberrimis illis regionibus iudicium ferre.

### CAPUT IX.

#### *De iurisdictionis loco.*

**I**n super etiam populosa urbs efficitur suprema iurisdictione: hæc enim homines loco illi quasi adstrictos raro discedere sinit, hanc magnus litigantium concursus appetit, unde civitas facile civibus abundare potest. In urbibus, ubi summa est iurisdictione, peculiaribus rationibus tam publicæ quam privatæ opes coguntur. Ibi conveniunt principum, ducum, civitatum & Rerumpublicarum legati, ibi causæ gravissimæ disceptantur & finiuntur, eo diriguntur appellationes, ibi negotia tam publicæ quam privata transiguntur, eo ditionis proventus conferuntur, & necessitate urgente expenduntur, opulentioresque exterarum urbium cives amicitias & sedes ibi quærunt.

Hinc non potest non sequi pecuniarum abundantia, quæ per se tanquam inescat mercatores, negotiatores aliosque quos ex locis longe distantibus allestat. Exinde civitates pro ratio iurisdictionis indices ædificiis, multitudine civium, opibus &c. splendiores exurgunt.

Horum veritatem arguunt omnes urbes, in quibus celebris fuit iurisdictione, Pisa, Sena, Genua, Luca, Florentia, Brescia: quarum ditiones centum longæ, & 40. milliaria

lata

lata sinu suo complectuntur & coercent non tantum fertillimos agros, sed etiam uberrimas valles, multas urbes, castella, infinitaque loca, ubi circiter millia ædificia intueri licet, summam vero sexcenta millia hominum affatim alunt. His annumerari possunt multæ liberæ imperiales urbes Germaniæ, Norimberga, Lubeca, Augusta Vindelicorū.

Gandavi in Flandria, magno illo vexillo aliquando erecto, circiter centum millia bellicosorum numerata fuerunt.

Nihil jam dicam de Sparta, Carthagine, Roma, Venetiis, quarum incrementa ubique pro ratione jurisdictionis conspicua fuerunt. Carthago, ut cæteras omittam, in summo potentia gradū constituta ambitu suo 24. parvæ milliaria continuit, Roma 50. præter suburbia, quæ tantæ fuerunt magnitudinis, ut una parte ad Hostiam, altera ad Otricoli porrigerentur. Sed dilabamur ad alia, quæ de principis sede agunt.

## CAPIT. X.

*De nobilium sede & habitationibus.*

PLeræque Italiæ urbes augustiores & majores sunt urbibus Galliæ aut reliquæ Europæ, idque quoniam nobiles Italiæ, urbes inhabitant, Galli autem suis castellis, quæ ad instar palatiorum ex ædificata aquis & muris circumdata editionibusque turribus ita obfirmata sunt, ut facile improvisam hostium irruptionem & sustinere & arcere queant.

Esti vero nobiles quoque Italiæ, pagos incolant, potissimum juxta Florentiam, Venetias & Genuam, ubi tam splendida ac magnifica visuntur ædificia, ut etiam regnis, nedum civitatibus aut oppidis maximum sint allatura ornamentum. Gallia tamen sumtiosioribus augustioribus & frequentioribus nitet, Italus enim & sumtum & industriam  
biparæ

bipartitus, & urbibus & pagis delectatur, plus tamen urbibus. At Gallus urbana sorte spreta, rure magis delectatur, facile contentus quacunque sorte, modo sibi ades & hospitalia sua salva constant. Experientia autem satis superque docet, urbes à nobilibus inhabitatas fieri & splendidiore & populosiores: non tam quod ipsimet sua familia incolarum numerum adaugent, quam quod in conferenda liberalitate, quam in conspectu aliorum nobilium exercent, dum alter ubique alteri in expendendo superior videri cupit sunt largiores, quo fit ut multi, qui emolumentum aut beneficium quodvis ab ipsis sperant, gratiam ac benevolentiam eorum modis omnibus conciliare nitantur. Cum contra nobiles illi, qui in rure victitantes, quibus cum magnificis ejusmodi largitionibus decertent, aut quorum admirationem aucupentur, non habeant, quin sordidulo etiam ac lacero vestitu inter rusticos incedere quandoque minime morantur.

Ceterum & hoc addendum, quod urbes, quo à pluribus inhabitantur nobilibus viris, eo splendidiore atque amplioribus nobilitantur ædificiis: quin etiam omnis generis artes & mechanicæ magis tum florent, semper ad superiorem perfectionem aspirantes. Atque hanc ob causam Ingha, id est, rex Peruanus regiam urbem Cusco amplificaturus publico edicto non tantum omnes nobiles in urbem coegit, sed etiam ut quisvis sibi pararet palatium, quod inhabitaret, mandavit. Quod quidem ansam præbuit, ut dum quisque deinceps magnificentia ac splendore ædificij eminare studeret, brevi tempore urbs ædificiis fere regiis conspicua eniteret. Secuti sunt eum in hoc nonnulli duces Lombardiæ. Tigranes rex Armeniæ posita maxima urbe Tigranocerta, plurimos nobiles aliosque auctoritate & opibus in-

signes



signes ilares suos eo transferrere coegit: quid quod bona omnia, quae in urbem non illata ab ipsis essent, confiscata esse voluit? Sic Venetiae ex parvis incunabilis ad tanta potentiae & rerum fastigia pervenerunt. Qui enim ex finitimis locis confugiendo in parvam insulam, ubi admiranda structura jam sitae sunt Venetiae, se receperunt; omnes & nobiles & opulenti fuerunt; omniaque sua bona eo comportarunt. Quorum beneficio postea per maris opportunitates rei nauticae studiosiores variis negotiationibus admodum exiguo spatio continentes insulas ad se pertraxerunt; situmque Venetiarum suis divitiis & thesauris adeo ampliarunt, ut nunc totius terrarum orbis animum in summam sui admirationem rapiant.

## CAPUT XI.

*De sede principis.*

Ullm necesse sit, ut in qua vis regione urbs una ceteris sit illustrior & excellentior; ad quam tanquam ad unum euportorium & theatrum honoris causa tota regio fluat; quae quidem urbs totius regionis veluti cor & centrum esse debet, à quo reliquae partes ac membra vitam & lumen habeant; si hujus ornatum spectes, augustissima; si moenia, fortissima; si utilitatem, rerum omnium varietate refertissima; si civium numerum, ordinem, splendorem, omnium populosissima, justissima, magnificentissimaque esse debet. Hanc ipsam principis sedem esse convenit, ad cujus majestatem & honorem excelsa palatia, honorifica tribunalia, altissima tures, munitissima castella, populi magna frequentia, aliaque pene infinita requiruntur. Non capit Augustum Mantua, Roma capit. Imo absurdum est & penitus indecorum, ut nobiles sub cespite & fumoso tugurio viverent; lo-

cus esimut homo suam majestatem habet. Sic Roma in Italia, Lutetia in Gallia, Londinum in Anglia, in omni denique regione ac gente unam primariam urbem invenies, qua Regia solis (ut ita loquar) splendet. Vrbs ergo necessario requiratur, in qua princeps, proceres, iudices hisque obediētes eives una vivant, & ad quam tanquam ad asyllum justitiæ, reliquæ omnes regionis partes urgente necessitate veniant, in qua controversiæ decidantur, in qua principum, procerum ac dynastiarum conventus habeantur, in qua exteri legati audiantur, in qua functiones, munera atque honores petantur, in qua denique omnium totius regionis oppidorum proventus tanquam in thesaurario ad usus publicos æque ac privatos, prout fert necessitas, afferuntur & recondantur, quibus sane rebus urbes mirifice excreverunt atque augentur.

Asserit hoc urbs quæque celeberrima, Reges Ægypti, regni vetustissimi, partim Thebis, partim Memphi degerunt: unde utraque civitas mirifice est exulta, Urbs enim Thebæ (quam poetarum more Homerus *ἐκατόμυλον*, id est, centiportam vocat) ambitu suo 17. milliaria parva continebat, si Diodoro credimus, & publicis & privatis ædificiis excultissima, satisque populosa. Hanc æquavit Memphis. Succedentibus regibus (qui Ptolomæi dicebantur) aula mutata sedem præbuit Alexandria: quæ ex inde populo, ædificiis, opibus venerandaque auctoritate in immensum excrevit. Duæ autem prædictæ urbes (regnum primò obtinentibus Chaldæis, postmodum vero Persis) pristino decore amissò fere sunt devastatæ.

Sultani reprobara Alexandria Cayri confederunt: quod ex subito incremento Magnum cognominatur. Id quod ansam Sultanis præbuit, ut metuentes multitudinis factio-

nes undique urbem latis & profundis fossis distinguerent : adeo ut non tam figuram unius urbis quam multarum invicem adjacentium repræsentaret. Hodie in tres urbes distincta est, parvo milliaria se invicem distantes, quarum nomina sunt : Bulacco, Cayrum vetus, & Cayrum novum. Fama est, sedecim ibi, aut ut placet Ariosto, octodecim vicorum millia contineri, quos noctu ferreis portis obstruunt. Incolarum non potest iniri numerus ; plerique enim sub terra degunt tam angustis receptaculis aut spelæis potius, ut alter alteri insidere videatur.

Pestis nunquam ibi cessat, septimo quoque anno vehementer grassans, qua nisi ad minimum trecenta millia absumantur, vix pestem aut luem appellare dignantur ; tolerabilemque aeris constitutionem Sultani æstimant, si grassante peste, mille dumtaxat peste absumti efferantur. Atque hæc de Cayro dicta satis sunt, quippe quod capacitate sua omnibus innotuit.

Aula regum Assyriorum fuit Ninivè : cujus ambitus continebat 480. stadia, quæ collecta faciunt sexaginta milliaria Italica ; longitudo vero ad centum quinquaginta stadia protendebatur, ut scribit Diodorus. Ejus suburbia procul dubio fuerunt amplissima ; eo quod, ut sacræ literæ testantur, trium demum dierum itinere urbs Ninivæ conficiebatur. Traditque Diodorus nullam postea urbem tanto ambitu, tantaque magnitudine extractam. Altitudo enim murorum fuit pedum centum, latitudo, quæ tres currus junctos caperet : turres in muris mille & quingentæ, centum altæ pedibus, ut recensuit Vives.

Chalæorum aula fuit Babylon, cujus ambitus 480. stadia includit, teste Herodoto. De hæc Aristoteles scribit, famam fuisse suo tempore, cum aliquando expugnaretur,

post triduanam demum expugnationem, omnibus in urbe civibus captam innotuisse. Plinius libro 6. cap. 26. de ea sic habet: Babylon, Chaldaicarum gentium caput diu summam claritatem obtinuit in toto orbe, propter quam reliqua pars Mesopotamiæ Assyriæque Babylonia appellata est, sexaginta millia passuum amplexa muris ducentos pedes altis, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore quam nostra, inter fluo Euphrate, mirabili utroque opere. Ferunt ei plebis urbana sexcenta millia fuisse: situm vero incenium aquilæ pendentis alas: agrum totius orientis fertilissimum. Eadem fere etiam Solinus capite 59. scribit. Eam à Semiramide fuisse constructam scribit Diodorus, Strabo, Justinus. At Josephus, Eusebius Marcellinus, à nepotibus Noæ conditam asserunt: instauratam vero & muris munitam à Semiramide, quod & S. Hieronymus tradit in lib. Osee ad c. 2. citato poetico carmine,

— — *Babylon, quam dicitur olim*

*Coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.*

Eam autem per singula quatuor latera recta habuisse 15. millia pass. recollit ex Herodoti libro 1. idem Hieronymus super Esaiam ad caput 14. ad illa verba, *Et confurgam, &c.* nihilque superesse præter murorum circuitum; at reliqua omnia introrsus in solitudine versari tradit. Recentiores, cujusmodi Aldus, murorum ejus & latitudinem cubitorum 50. & altitudinem 200. cum Plinio affirmant: sicut & ambitum sexaginta millium passuum. Strabo tamen libro 16. ambitum ad trecenta octoginta quinque stadia memorat, ut non attingat ad quinquaginta passuum millia; adjicit tamen; turres sexaginta fuisse altitudine, ac crassitie, pedum duorum & triginta, murosque adeo late patuisse, ut quadriga sibi in vicem occurrentes facile pertransire possent. Fossa autem

autem extrinsecus late etiam patens vice amnis circumflue-  
 bat, Aldo teste. Videndus Oros, lib. 2. c. 6. Quod Curtius lib.  
 5. & Euseb. de prepar. Evangelicâ lib. 9. cap. 4. in fine ex  
 Abydeno vetustissimo auctore. Sunt in ea urbe horti pen-  
 siles, qui in figura quadrata, quorum latus quodlibet est qua-  
 ternum iugerum. Hi fornicibus continentur, sese in forci-  
 pis modum intercidentibus, sitis super pilis, in aleatoriarum  
 tabellarum formam, aliis super alias positis. Pilæ concavae  
 sunt & terra plena, ut arbores maximas consistas recipere  
 possint, ex lapide coctili & bitumine structæ, tam ipsæ quam  
 fornice, & fornicum intersectiones: supremum tabularum  
 ascensus scalares habet & cochleas ipsis adjacentes, per quos  
 continue aqua ex Euphrate in hortos afferebatur, ab homi-  
 nibus ad hoc ipsum constitutis. Nam flumen mediant ur-  
 bem interluit, ejus latitudo stadium occupat. Horti super  
 flumine sunt. Strabo lib. 16. in prim. Ceterum à Scythis  
 tandem hostiliter irrupentibus omnia devastata, rursus  
 tamen à Bugiafara Galyffo Saracenorum, qui octodecim  
 auri milliones ad hoc impendit, tantisper restaurata, ut teste  
 Jovio, etiamnum hodie Romæ magnitudinem, quoad com-  
 plexum moeniorum, excedat; ubi & non tantum plurima  
 rosaria & ambulacra, sed etiam sylvæ venationibus, & ru-  
 ra cultura destinata inveniuntur. Porro ut & de turri Ba-  
 bylonica, quæ miraculi fere loco censenda est, aliquid dica-  
 mus; eam à Nimroth edificatam legimus, Genesi cap. 11.  
 ejus altitudinem tamen si sacris literis expressam non legeri-  
 mus; tamen Isidorus lib. 15. cap. 1. ex Hebræorum scriptis  
 memorat, altitudine turrimilliam surrexisse usque ad quin-  
 que millia, centum septuaginta quatuor passus. Sed D. Hi-  
 cronymus super Esaiam ad cap. 54. ad illa verba: *Et con-  
 surgam, &c.* hæc habet: Babylonis arx, id est, capitolium

ejus urbis, est turris, quæ in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de lato in angustias coarctata, ut pondus imminens facilius à latioribus sustentetur. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroque fulgentes & alia pene incredibilia. Hæc ille.

Reges Medorum Ecbatanæ: Persarum Persepoli confederunt: de harum magnitudine præter conjecturam nihil extat. Nostro tempore aulas suas habuerunt primum Taurini, deinde Scyræ, civitatibus nobilissimis.

Tartaria & orientalis Asia ob immensas principum opes & potentiam, majores exhibet urbes, quam ulla mundi plaga. Tartari duobus regnis potentissimis dominantur, quorum unum est Mogorinorum: alterum Cathaynorum. Mogorini Tartari suum imperium hodie late extenderunt: Mahamud enim eorum princeps, finibus suis non contentus, ante paucos annos fere omnem regionem, inter Gangem & Indum interjacentem, sibi subjugavit. Samaranda regia est metropolis Mogorinorum: quam Magnus Tamerlanes mirum in modum diravit præda ex Asia reportata. Ille enim tanquam sæva & procellosa tempestas omnem regionem pervagatus firmioresque urbes demolitus plurimas opes abstulit. Ex sola Damasco (ut cæteras taceam) octo millia camelorum superbis spoliis onustorum abduxit. Vetera historiarum monumenta tradunt tantam fuisse hujus urbis potentiam, ut sexaginta mille equis dives censeretur. Minor hodie est, ut & ipsum imperium. Ut enim post Magni Tamerlanis obitum à filiis in multas partes divisum abiit, sic nostro tempore à Mahometis filiis magis discerptum videmus.

Cathaynorum Tartarorum princeps, (quem vulgus Magnum Cham de Cathaus vocat) à Magno Chiny originem

nem trahit, qui primus ante trecentos annos ex Asiatica Scythia movens, gravissimis expeditionibus Tartarorum nomen celebre reddebat. siquidem regno Chinesium occupato, bonam Indiae partem sibi vectigalem fecit. Hujus successores in urbe Chiambalu sedes suas fixerunt, quæ ut insigne ita ampla est. Ambitus enim præter suburbia, viginti octo parvorum milliarii esse traditur. Adeo ibi florent commercia, ut quotannis circiter mille currus vel solo serico onusti è China eo advehantur. Ex quibus facile conjicere licet, quantopere ibi vigeant negotiationes, preciosissimæ merces, artes & artifices, quæ incolarum multitudo, quam splendide, quam nitide, quam egregie ibi vivatur.

Non extat in toto terrarum orbe regnum (puta partibus suis continuum & conjunctum.) capaciùs, non populosius, non opulentius, non potentius, non durabilius, quam amplissimum illud & laudatissimum Chinesium regnum. In quo maxime conspicuæ tres urbes, ubi sedes regie olim fuerunt, vulgo recensentur Suntien, Anchin & Panchin, quæ magnitudine urbes omnes, quæcunq; demum unquam in toto terrarum orbe extiterunt, vincunt. Suntien (quantum ex indiciis indubitatis edoctus habeo) antiquissima est, metropolis regionis Quinsay, quo nomine etiam ipsa urbs ut plurimum vocatur. Sita fere est ad extremas orientis oras in lacu quodam, multis è fluviis, quorum maximus Polyfange dicitur, collecto. Multæ in hoc lacu enitent insulæ, quod antænitæ situs, salubri aere, hortis pensilibus ac splendidis ædificiis aspectum præbent gratissimum. Litora passim viridibus pratis conspicua tanquam varicoloribus tapetibus ornata, arboribus consita, salientibus aquis & rivulis irrigua, amplissimis palatiis & ædificiis vix credibilem spirant amœnitatem. Maxima lacus latitudo est quatuor  
magno-

magnorum milliarium, incapacissima autem duorum. Urbs ipsa ab effluxu aquarum fere 28. milliaria Italica abest: ambitu suo centum milliaria parva complexa: vicorum sive platearum multitudine, tam aqua quam terra maxime insignis: quarum hæc silice politissime strata traditur. Vstratissima ibi sunt podia, è quibus in vias publicas jucundissimus patet prospectus. Insigniores aquarum alvei numero 15. sunt: super quos pontes eximios struxerunt, & sane ea altitudine, quæ navibus plenis velis transirum præbet. Horum alveorum maximus mediam fere secat urbem, latus milliare Italicum; octuaginta pontibus conspicuus: quorum aspectus & usus omnes amœnitates, omnesque utilitates vincit. Molestior fortassis fuero omnia adducturus, quæ celebritatem urbis concernunt. Quantis enim & qualibus ea patet arcibus? qui splendores ædificiorum? quam egregii vici? quantus civium numerus? quanta mercatorum multitudo? quæ copia navium, ebano & marmore variegatarum, auro & argento vermicularum? Lubens prætereò immensas illas opes, quæ quotidie & importantur & exportantur. Nec commemorò infinita illa voluptatum & deliciarum plaustra, quibus ubique abundat, & merito *Su-perba sunt* vocari potest.

Cæteræ tamen duæ magnitudine sunt superiores: è quibus Anchin tanta est, ut vix liceat equi ad utramque partem diurno spatio pervenire: ubi tamen suburbia non accensentur. Panchin autem ambitu sexaginta magna milliaria continete traditur.

Cæterum posteaquam Chinæ mentio incidit, non absurdum me fore credo, si & aliarum urbium, quas in transcurso obiter attigimus, quadam encomia adduxero. Porrigentes ajunt urbem Cantan (notissimam quidem sed non



non maximam) Vlybona majorem esse: quæ tamen excelsis Constantinopoli & Parisiis, omnium in uniuersa Europa habetur amplissima. Urbem Sauchico triplo majorem esse Siuilia in Hispania ferunt: quod Siuiliæ ambitus est sex milliarium, Sauchico uero octodecim, amplior tamen utraque, Vechico urbs creditur. Cincheio, quamuis in numero maximarum non sit, à patribus tamen ordinis D. Augustini septuaginta millia ædificiorum habere credita est.

Hæc aliaque nemini absurda & à vero absona videantur, cum Marcus Polus in Relationibus suis multo maiora, quam quæ à me allata sunt hæctenus, adducat. Hæc autem, quæ à mediæta sunt, tam uero consonant, & in uulgus tam nota sunt ex quotidianis nuntiis, qui illinc ad nos ab hominibus perspecta fidei comitant, Lusitanique uno ore confirmant, ut qui negare uelit, stultitiæ potius quam prudentiæ notam incurrat. Quo autem lectori bene uolo satisfiat, documenta quædam adducam, ex quibus perspicere facile sit, unde Chineses populi tantopere succreuerint.

In primis autem præsupponamus, quod hæc mundi plaga, quam orientalem uocamus aut ex cœli clementia, aut arcano & abdito siderum situ, atque efficacitate, aliis uel causis, quales quales illæ sunt, nescio qua uirtute & natura omnia uberius proferendi cæteras antecellat. Hinc multa præclare, quæ in cæteris regionibus non nascuntur, ex felici illa plaga depromuntur, ceu sunt cynamomum, nuces myristicæ, caryophylla, piper, caphura, sandalum, thus, aloë, nuces Indicæ, &c. Quid quod ea nascuntur, quæ oriens & occidentes pariter profert, in occidente meliora, præstantiora, & perfectiora nascuntur? Confer uniones, aurum. Adamantem, Smaragdum, lapidem Bezoar, & uera hæc esse probabunt. Uniones enim occidentales cum orientalibus  
collati

collati ad invicem se habent, ut plumbum ad argentum, & Bezoar Indicus bonitate. Peruano longe præstat.

Jam vero regnum Chinesium propius attingit orientem, quam ulla mundi plaga: adeoque omnium; quæ in oriente nascuntur, plenior ibi est proventus. Chineses aëre, cui potior vitæ nostræ pars tribuitur, utuntur temperatissimo: cui porro accedit mare, quod hanc regionem & circumluit; & velut brachiis suis in eam expansis amplexatur ac fovet.

Deinde tota regio ut plurimum plana est, locique natura percommoda, non tantum necessaria vitæ, sed etiam oblectamenta & delicias vitæ humanæ affatim producens. Montes & colles variis arboribus & sativis operiti sunt. Plantities oryza, hordeo, frugibus & olivibus: ceu pulcerrimis vestibus est induta; exulta, ornata. Horti non tantum nostratibus fructibus abundant, sed etiam sapidissimis peponibus, dulcissimis prunis, optimis ficibus, malis citriis, chrysomelis, fragrantia & sapore jucundissimis.

Nascitur apud ipsos peculiaris herba, ex qua expressum succum loco vini adhibent. Liquor est dulcis, sanitatem conservans, omnia mala ebrietatis propulsans.

Magna illis est abundantia omnium animantium, avium, ferarum, lanarum, gossypii, lini, plurimique serici. Abundans illis est metallorum copia, auri, argenti, ferri, &c. pretiosissimos ibi uniones invenire licet. Nunquam illis deficit saccarum, mel, Rhabarbarum, Caphura, Minium, Isatis, moschum, aloe: neque alibi nascitur porcellana. Universam regionem varia aquæ perfluunt, non sine magna utilitate rei & nauticæ & rusticæ. Ruris fertilitatem æquant aquæ piscibus fertillimæ: quorum magna copia tam in mari quam in aliis fluviis passim ibi capitur.

Ad soli & aquarum fecunditatem utriusque incredibilis cultura & utilitas accedit; idque duabus ex causis: quarum prima ab incolarum multitudine dependet; China enim ultra sexaginta miliones hominum continere creditur. Altera in diligenti cultura consistit. Æque enim privati ruri colendo & ejus frugibus demetendis intenti sunt, ac magistratus, qui otiosum domi desidere sinit neminem. Hinc vix invenias agellum vel glebam, quæ non optime sit exculta. Num vero hic artes & opera mechanica silebo? cum non sit locus alius, tot & tam insignibus florentior, id quod itidem à duobus proficiscitur. Primum jam laudatum est, quoniam otia passim interdicta, labores cuivis mandati: nulli licet esse otioso, non cæcis, non claudis, nisi plane viribus destititis. Viteus Chinensium rex lege sancita etiam foemellas ad exercendum artes paternas, aut minimum tam nobiles quam non nobiles, colo & acui adstrinxit. Alterum est quod filii patris artificia callere & exercere jubentur. Hinc tot artes, totque artifices, qui à teneris unguiculis omnes, tam masculi quam foeminæ, paterna artificia tractant. Hinc summa artium scientia absolutaque perfectio. Non committunt, ut vel minima & abjectissima res sine fructu pereat. Taurorum & bubalorum simo nutriunt pisces. Ex ossibus canum aliarumque animalium varia fingunt sculptilia, qualia nos ex ebore. Ex laceris pannis conflant papyrum.

Sed quid tantopere in his recensendis immoror? Tanta nimirum est apud Chineses omnium rerum ad vitæ sustentationem necessariorum artiumque & opificiorum copia, ut aliunde quicquam importare minime opus habeant. Quanta mercici copiam quotannis vel duntaxat in Lusitaniam mittunt? Quindecim naves ad Philippinas onerantur,

tur. Fide major copia in Giapas avchitur. Tanta Cathay  
 excipit, quantum aestimare licet ex superioribus, ubi dixi-  
 mus, quanta in Ciambalu mittatur. Opera sua elaborata  
 (quæ infinita sunt) vilissimo vendunt pretio, quod merca-  
 tores novæ Hispaniæ, qui ex Philippinis insulis ea cœmuntur  
 eo frequenter habent, vix satis admirari queunt. Quo fit,  
 ut negotiationes, quæ cum Philippinis exer-  
 centur, Hispanorum regi damnosæ potius quam lucrosæ  
 sint. Vilissimum enim omnium rerum pretium Mexicanos,  
 suas merces ex Hispania ante petentes, in Philippinas ille-  
 ctat. Quod autem est summum regis Hispani studium, scias  
 illas gentes horribili caligini idolatriæ adhuc immerfas e-  
 molliendi & in albam Christianæ Ecclesiæ, referendi efficit,  
 ut damnum lucro æquale aestimet, modo earum animas lu-  
 cretur.

Ex his omnibus & singulis liquido constat, Chinam  
 partim naturæ, partem humanæ solertiæ dote & beneficio  
 infinitos homines nutrire posse: adeoque non absurdam  
 esse tantam inibi populositatis famam. Atque hanc ego por-  
 ro assero, & necessariis documentis probo, idque dupliciter.  
 Primo enim Chinesum rex non opus habet bella gerere,  
 pro amplificandis ditioris suæ finibus, sed tantum ut suâ se-  
 pta defendat. Perpetua illis ferè pax est. At quid pace op-  
 tabilius? quid fructuosius? quid antiquius? Nulli ex Chi-  
 nensibus in scio rege & magistratu terra sua licet exire. Cre-  
 scentibus itaque incolis patrioque solo semper adhærescen-  
 tibus non potest non esse incolarum ingens multitudo, ur-  
 bium maxima capacitas, præsertim cum ipsum regnum Chi-  
 nensium unam corpus unamque urbem representet.

Profecto nos Itali nimio nostri amore omnia nostra  
 summo opere admirantur, suspicimus, dum Italiam ejusque

urbes omnibus orbis partibus anteponendas censemus. Italia ratione situs oblonga, & media Apenninis montibus divisâ, paucâ habens flumina navigabilia, non potest ferre magnas & populosas urbes. Fluvii Italiae habent se ut rivulum cum Gange, Menanè & Meacone aliisque orientalibus collati: Tyrrenum & Adriaticum mare paludem dicas, si cum Oceano comparaveris. Unde nostrae negotiationes & nundinae proserutariis non immerito habeas respectu earum, quae Cantanae, Malacca, Calecutiae, Ormo, Ulysbonae, Seviliae & in caeteris urbibus oceano finitimis habentur.

Huc accedunt inter nos & Manumeranos dissidia & bella bonam partem commerciorum in Africa & oriente adimentia. Quid quod melior pars Italia, ut regnum Neapolitanum, ducatus Mediolanensis regi Hispaniae pareat? Satis autem tenues sunt reliqui ordines, ut & praecipue urbes. Sed instituti ratio requirit ut eo, unde digressi sumus, revertamur.

Principis sedes ex sese satis virium habet ad instaurandam urbem & extendendam. Memoriae prodidit Franciscus Alvarez, in Aethiopia quantumvis regione amplissima non extare urbem ultra mille sexcentos cives continentem, quarum numero paucas esse ajunt. Rex vero Aethiopum, quem illi magnam Negro, nos, sed vitiose, Prette Joannem vocamus, incerta aula vagatur. Sola enim ejus aula instar potentissimae urbis est: siquidem ejus tentoria vix aliquot milliariibus capiuntur.

Omnes celebriores urbes Asiae principum sedes fuerunt. Damascus, Antiochia, Angori, Trebisonda, Bursa, Hierosolyma. Sed ad nostram Europam transeamus. Roma, translata aula imperatoria deflorescere coepit, Constantinopolis vero, ubi imperatores considebant, maxima cepit

incrementa : quæ etiamnum ob aulam Turcici imperatoris facta : tecta durant.

Hæc urbs sita est in loco amoenissimo, optimo, commodissimo, qualem nulla urbs totius mundi invenit. Sita quidem est in Europa, sed plus minus quadringentis passibus ab Asia abest. Dominatur ponto Euxino (quod Turcæ Mare nigrum, vulgo Mare Maggiore vocant) & Propontidi, quæ nobis Mare D. Georgii nominatur. Euxini ponti ambitus est duorum millium septingentorum parvorum milliarium. Propontis vero ultra, ad ducenta milliaria porrigitur, donec Archipelago (alias mari Ægeo, Turcis Mari albo) committitur.

Nullius tempestatis quantumvis procellosæ, sævitia navigationes prohibet, quo minus variæ merces utrinque in urbem adferantur. Et haud scio, an, si modo dictam urbem alius adhuc fluvius navigabilis allueret, aliquid ad ejus perfectionem accedere posset. Ambitus ejus est 13. milliarium, & addita P E R A, octodecim : intra hujus complexum septingenta millia hominum invenias. Pestis tertio quoque anno vehementer ibi grassatur : vel verius dixerim, raro aut nunquam fere à peste immunis est. Unde profecto non indignum proponitur disputatoribus problema, cur illa lues tertio quoque anno (ut Cayri septimo) instar tertianæ febris vehementiori paroxysmo in urbem ratione situs & aeris salubrem revertatur. Quæ quidem ego in præsentî differo, aut ingeniis exercitatoribus discutienda propino.

Intra Constantinopolim septem montes conspiciuntur. Invenias ibi prope litus ad orientem, Turcici imperatoris gynæceum, cujus muri ambitu suo tria milliaria coercent. Invenias ibi armamentarium, ubi officina & statio navium fornicibus plusquam centum triginta enitet. Videas urbem

urbem situs ratione satis amœnam, portubus laudatissimis, civium multitudine, negotiationibus frequentissimis, ipsiusque imperatoris aulâ splendidissima adeo conspicuam & ornatam, ut facile inter omnes Europæas, primas reportet. Una enim imperatoris aulâ triginta millia armatorum equitum ac peditum alit.

In Africa maximam celebritatis famam affectæ sunt; Alcaïrum, quæ urbs non ita pridem amplissimi regni potentissima Metropolis adeoque civibus abundantissima facta est, Tremise, quæ cum adhuc floreret, sedecim mille familias continebat. Tunetum novem millia: Marocco centum millia: Fessa, ubi Africa regis potentissimi aulâ est, sexaginta quinque millia adificiorum continet.

Quamvis orbis Christianus multa habeat regna eaque splendidissima, omnia tamen (puta quorum membra sint continua) Gallico facile concedunt multitudine & incolarum & opum. Gallia circiter 27000 parochias (Parisiensem pro una accipimus) habet, in quibus ultra quindecim hominum milliones inveniuntur. Bonis, quæ natura locorum suppeditat, & opibus, quas humana solertia cogit, Gallia omnibus nationibus est superior. Regia aulâ longa temporis serie hætenus fuit Lutetia, unde ad tantam magnitudinem excrevit, ut parem in orbe Christiano non invenias. Ambitus ejus est duodecim miliarium: intra quorum fines ac septa, quatercentena & quinquaginta hominum millia plus minus degunt. Tanta ibi est rerum copia, tanta deliciarum & voluptatum, omniumque, quæ humana vita requirit, est abundantia, ut, qui non vidit, nec credere, nec imaginatione concipere possit.

Regnum Anglicum, Neapolitanum, Portugalense, Bohemicum, comitatus Flandriæ, ducatus Mediolanensis  
digni-

dignitate & potentia sibi invicem ferè pares sunt : unde & urbes, ubi aliquando aulas suas habuerunt prædictarum regionum principes, parum discrepant : Ejusmodi sunt Londinum, Neapolis, Ulysbona, Praga, Mediolanum, Gandavum, in quibus singulis plus minus centum sexaginta mille homines reperiuntur. Paulo tamen amplior cæteris est Ulysbona, propter commercia Æthiopiæ, Indiæ, & Brasiliæ, ut & Londinum ob motus bellicos, quæ in Belgica gliscunt. Tantæ magnitudinis in Hispania nullam invenias urbem, non tam quod hætenus in plura regna fuit divisa, quam quod fluminibus navigabilibus caret, sine quibus sufficiens comæatus, quo aliquantulum populus extraordinarie aleretur, invehi nequit. Celebriores Hispaniæ urbes, quæ olim regiæ erant sedes, vulgo censentur : Barcinon, Saracofsa, Valeza, Corduba, Tolctum, Biturigum, Lugdunum, quæ quidem omnes magna sunt, populosa, Italiæ tamen urbibus inferiores.

Has antecellit Granata, ( vulgo Garnada ) quæ longo tempore Maurorum regibus sedem præbuit, multis eximiis ædificiis ab ijdem exornata. Pars ejus in monte, pars in plano sita est. Quæ monti adhæret, in tres distinctos colles est divisa, aquis abundat, quibus universa regio habitabilior efficitur & irrigatur.

Quamdiu America patuit, in maximam potentiam succrevit Sevilla, quibus maris æstus ibi exundans incomparabiles opes adfert. Ambitus est sex parvorum milliarium, octuaginta millia hominum complectens. Sita est in sinistro littore fluvii Betis, quem alias Guadalchivir vocant, Eximiis templis & palatiis insignis est, solum habet fertile & amœnum.

Vagliadolis tametsi urbs non sit, excellentissimis ta-  
men



men urbibus Hispaniæ comparari potest: idque quia longo tempore regia sedes ibi fuit. Sic Madridum urbs non tantum in majus aucta est, sed adhuc augetur, propter sedem regiam à rege Philippo eo translata. Tantum ibi valuit aula regia, ut ex nimio incolarum confluxu unus pagus, qui ibi olim erat, populosissimum oppidum totius Hispaniæ evaserit.

Poloniæ populosissimæ urbes sunt Cracovium & Vindava, quia Cracovii principes Poloniæ, & Vindavae magni duces Lithvaniæ aulas suas habebant.

Tribus potissimum urbibus Moscovia inclaruit: Volodimeria, Novogarda magna & Moscovia specialiter ita dicta; quæ omnes ac singulæ celebritatis nomen inde affectæ sunt, quod summi Moscoviæ principes, vulgo magni duces, aulam suam ibi constituerunt. Hac ratione nostro seculo urbs Moscovia præ cæteris celebris est, quod nimirum Magnus Moscoviæ dux aulam suam hodie ibi fovet. Moscoviæ urbis longitudo est quinque milliarium parvorum, latitudo aliquanto minor. Amplissimum ibi est castellum, quod ducis magni palatium est & aula. Adeo populosa est, ut à quibusdam Constantinopoli, Lutetiæ & Ulysbonæ æquiparetur, atque his tribus Europæ urbibus, ut florentissimis ita populosissimis velut quarra addatur.

Syracusarum urbs omnium Siciliæ urbium amplissima, quatuor maximis urbibus, ut Cicero tradit, olim constitit. Causam amplitudini dedit, regum sive tyrannorum (ut antiquitus vocabatur) sedes. Commerciis vero & negotiationibus, quas cum Africanis habebant, defervescentibus, & sede regia Palermum translata, Syracusæ pristinam celebritatem indies magis magisque perdidit: Palermum vero caput extulit, dignitateque ac gloria excrevit.

Palermi capacitas satis ampla est, & secundum inter Italiae urbes locum facile obtinet: insignis splendidis templis & palatiis, sanctorum reliquiis, lautissimisque ædificiis à Saracenis extractis. Duo vero potissimum, quæ nostra secula ibi construi viderunt, notatu digna sunt. Unum, quod via regia per mediam urbem patefacta est, adeo recta, plana, lata, longa, ut num simile quippiam habeat universa Italia, jure dubites. Alterum est, quod valla, munitiones, aggeresque versus mare amplissimam atque tutissimam efficiant navibus stationem. Opus sane dignissimum, quod admirandis Italorum operibus adjungatur.

Marcus Polus, ejus supra mentionem fecimus, rerum Indi. libro secundo, capite 68. tradit, Quinsai urbem in Magni Cham ditione centum passuum millium ambitum tunc fuisse complexam, atque in ea numerata seculorum mille ac sexcenta millia, ut si quinque sive mares, sive fœminæ per singulos foculos adnumerentur; una illa urbs octuagies decies centena hominum millia continuasse visa fuerit. Verum cum omnium rerum vicissitudo semper fuerit, post ducentos à Marco Polo annos cum eo profectus fuisset Nicolaus de Comitibus, comperit adeo insignem urbem jam diu antea excidium passam, ac nihilominus adhuc instauratam, atque ad triginta passuum millium ambitum fuisse redactum. Id ipse Nicolaus memorat in itineralio Indico apud Ramusium tom. 1. In eo numeratos pontes ad duodecim millia, quæ tantæ erant amplitudinis, ut onerarias naves admitterent, Polus eodem loco testatur & Ortelius in Tartaria. Viam autem ejus urbis primariam protendi latitudine 40. passuum: longitudine ad 38. millia passuum extendi Polus ait, scribitque quaque versus reliquas extra urbem vias perstratas pluribus mensibus non permeari; nam octo mensibus etiam

iam Odericus posterior tradidit. Adjicit quoque Polus, ibi plateas esse ambitu singulas bis mille passuum. Incolarum ejus tantus est numerus, ut ad pugnam numerari possint. idonci usque ad ducenta millia: quandoquidem trecenta domorum millia conscripta sunt.

Paquin, regiam in Sinarum regione urbem, adeo late patere memoratur, ut septem dierum intervallo recta pertransiri non possit, cum præterea munita sit tribus ambientibus muris. Quicquid ad alimenta regi necessarium est, infra hunc ambitum nascitur. Urbis rex nunquam egreditur: assistunt illi quingenti gigantes, non minores pedibus quindecim. Flumine tota urbs alluitur, ex informatione Jesuitarum, de rebus Sinarum, tomo 2. Melchior Nugnez Jesuita scribens ex Malacca.

Quod si liber orbis novi, aut Indiarum, aut extra Europam plerasque urbes admirandas audire, facile mihi suppetent, ac brevibus recolam. Est Vohaca urbs in Japone memorabilis, longa ad quatuor passuum millia, habetque proximas ingentes turres & latitudine & altitudine undiq; conspicuas, quod earum testa inaurata sunt, Lud. Froës in literis anno Domini 1586. Est Amaguci in eodem Japone, centum millia foculorum continens, ut Franciscus Xaverius testatus est suis literis an. 1553. In eadem quoque insula Meacus urbs est, quæ memoratur centum octoginta millia foculorum habuisse, eodem Xaverio teste; habere autem adhuc centum millia constat. In eadem insula est Osacci urbs Reipublicæ ritum servans, velut in Italia Veneti. Admiranda ibi est opulentia, numerati sunt mille cives, quibus non minores sunt opes triginta millibus aureorum, supra autem sunt plurimi: tanto fastu educantur omnes, ut quisque civis paterfamilias, sive viri, sive feminæ, reges aut reginæ

nuncupentur, filii vero, principes, ut Ferd. Mendez scripsit anno Domini 1554. Propterea si Constantinus Constantini Magni filius, qui solebat, cum Romæ esset, dicere, tot se reges videre quot cives, in ea urbe fuisset, verius id dixisset quam Romæ.

Odia autem regia urbs Indica orientalis Sornai regno Venetiarum in Italia urbi & amplitudine & situ coæquanda est: tota enim in aquis ex ædificata per omnes vicos aquis adnavigatur; sed illud valde est admirandum, numerari ibi plura, quam ducenta cymbarum millia, quæ sex milliaria in latissime patente & urbem alluente flumine occupant, omnibusque transitum impediunt. Ferd. Mendez anno Domini 1554.

Sunt & aliæ in aquis ex ædificatae urbes in oriente: nam in Burnei insula, cognominem urbem esse ferunt ligneam totam præter regiam, quæ sola lapidea est; in imo mari fixis stipitibus struunt domos. Vici patent adeo, ut per singulos venalis annona cymbis deferatur: sunt autem viginti quinque domorum millia à Mauris culta, ut Antonius Pigafeta testatur. Est & Lao urbs in eadem insula, illa quidem amplior, eadem structura, in undis ex ædificata, atque ab Ethnicis colitur, eodem Pigafeta teste. Est in eodem orientis Indico tractu alia urbs, cui nomen Uguin, adeo autem proximis ædificiis abundat, suburbiiisque oppidis & villis, ut toto biduo inter ædificia semper eatur, & unam urbem omnia hujusmodi ædificia complecti putentur, Polus libro 2. capite 73.

Quin & Ceuscala duplo Venetiis amplior esse putatur, ut Odericus tradit libro primo: Zaiton quoque urbs duplo Bononia in Italia amplior esse perhibetur. Ibi in unico coenobio idololatrarum numerata sunt tria Monachorum millia.

lia. Extabant quoque undecim ingentium idolorum millia, quorum minimum hominis altitudinem superabat, O-doricus libro primo. Sed & Fluxo, quæ in eodem Indico tractu jacet, amplissima est; patet etenim ambitu ad passuum millia triginta, ut Oder. lib. i. tradit. At alia urbs, cui Chileraphe nomen est, ambitum quadraginta passuum millium habet, atque in ea lapidei pontes numerantur ad trescentos septuaginta eximie ædificati. Est etiam alia urbs regia, cui nomen Tescot in Mangi provinciæ, Venetiis triplo major, in qua una tot navigia conspiciuntur in usu haberi per fluvium, quo alluitur, quanta omni in Italia, tum maritum mediterraneis fluminibus lacubusve reperiri queant. At Cambalu Magni Cham regia urbs bipartita est. Pars altera ambitu protenditur ad passuum viginti quatuor millia, altera proxime ad quadraginta millia. Unicus autem murus utramque urbem cingit, qui protenditur ad centum passuum millia. Atque hæc quidem in Asia etiam veteribus cognita. At memorant nostro seculo, qui eo penetrarunt, præter has ingentes urbes inventam urbem Megoa, 40 domorum millia continentem. Sed & urbs Kanich in ab ingressu ad egressum tanta reperta est longitudine, ut recta linea toto triduo pertransiri non possit; ejus ambitus ad leucas septuaginta porrigi fertur, id est, ad Italica milliaria 280. Reb; Sin. part. 2. cap. 23.

At in orbe novo, nostro hoc seculo comperta non sine admiratione multa de urbibus recoluntur. Nam qui illum illustrarunt affirmant, Mexicum urbem centum viginti millia magnarum ædium habuisse, augeri que admirationem, quod tota in palustri aqua fuerit ex ædificata, abest enim a continenti, qua proxime, octo millibus passuum, eum ejus ambitus sit ad duodecim millia passuum. Referuntque in ea

tantæ magnitudinis templum fuisse compertum, ut quingentæ domus in eo extrui potuerint: in ambitu habere turres quadringentas præaltas, quadrangulares, centum quinquaginta passuum ambitu: itur in summum usq; verticem percommode, primum quidem gradibus centum triginta per girum: deinde exurgunt à vertice duæ aliæ turres, singulæ altitudine pedum sexaginta. In eam urbem cum lacus falsam ferat aquam è continenti, canalibus in superficie lacu locatis, potabilis plurima aqua deducitur. Nec unam tantum urbem continet is lacus, sed alias plures. Sunt in eadem Mexico horti porticibus ex Jaspide lapide confectis exornati, eximioque artificio compositi. Et quod valde libet annotare, in eodem novo orbe, in provincia Tapalum altera tantæ amplitudinis urbs comperta est, quæ Mexico prorsus comparatur, ut Petrus Alvaradus scribit. In Peruaco autem ejusdem orbis Pachalchami urbs, Roma major comperta est. Sed & Cuscum regia urbs in Peruaco, cujus muri amplitudine sunt admirabili, confecti ex grandibus lapidibus, quandoquidem quadrangulari forma sunt, per singula latera pedes triginta, quandoque viginti, ad minus quindecim. Est in eodem orbe Tascaltecal, in qua quadringentæ turres numeratæ sunt. Sed omnium rerum yicissitudo est. Cum etenim Cortesius toti orbi novo Caroli Quinti Imperatoris nomine præsideret, ob seditionem illam tantam urbem Mexicum igne consumpsit: at postea augustissime restaurari curavit, ex ædificato palatio, adeo magno sumtu & amplitudine, ut cum ipsi senatuique universo ac præfectis provinciarum pluribus percommoda hospitia darentur, quicquid ejus palatii superesset habitabile, ad septē ducatorum millia locaretur inquilinis, uti memorat Surius in Commentario anno Domini 1558. Ut quanquam sint hæc memo-

memoratu perdigina, admirari tamen etiam libet, quanta e-  
jus urbis adjacentis sint oppida, quamq; ingens populorum  
frequentia, ut omnia fere orbis loca superare numero ho-  
minum videri possint. Municipia enim prope urbem quæ-  
dam septem, quædam quindecim, alia viginti, alia trigin-  
ta, alia quinquaginta, alia sexaginta, alia septuaginta do-  
morum millia obtinent. Accedit his, quod solo in Mexico  
refertur multi summa fide dignissimi, triginta fuisse Dyna-  
stas, quorum quilibet habuerunt sub se centum millia ho-  
minum, aut circiter, & tria millia Toparcharum, qui & al-  
ios sub se haberent clientes fiduciarios, ac beneficiarios Va-  
sallos, Valvasores & Valvasinos. Qui Dynastæ certa anni  
parte familiam suam alebant in civitate Mexicana curia re-  
gis Montezumæ, & ex ea non licebat illis discedere ad suas  
provincias, nisi regis permisso, ac relictis sive filiis sive fra-  
tribus suis in civitate ob sidum loco: & quod dictu horren-  
dum est, mille plerumque homines uno die in civitate Me-  
xicana dæmonibus immolabantur, quæ tamen execranda  
abominatio hodie per Jesuitas sublata est. Hæc è Surii Com-  
mentario anno Domini 1558.

Solinus cap. 53. tradit, in India quinque esse oppido-  
rum millia, quorum singula ad minus novem hominum  
millia habeat. Idque tribuit causæ, quod soli Indi nunquam  
à natali solo recesserint. Pomponius Mela lib. 1. scribit A-  
masi in Ægypto regnante viginti urbium millia numerata  
fuisse, quod & Herod. tradit lib. 2. c. 12. Quinetiam recen-  
tiores tradunt, ob soli præcipuam fertilitatem & hominum  
frequentiam, adeo Ægyptum exultam esse, ut decem & o-  
cto millia insigniorum urbium in ea extracta adhuc nume-  
rentur.

In Chinenfium regionibus Cantan omnium quidem  
mini.

minima urbs est, amplior tamen, Ulyssibona in Lusitania; eoque nomine insignis, quod ad exercendam justitiam ejus rex alat centum millia munitrorum ac militum, tuendæ ubique securitatis causa; deinde quilibet ejus urbis vici noctu portis ocluduntur, ne ex uno in alterum transitus pateat: ut ita cohibeantur maleficia, quæ haud dubie non nisi à proximis committuntur. Esseque in ea urbe memorant plures quam mille triumphales arcus eximie ædificatos, terque quotannis agrum referre fructum ob assiduas irrigationes. Hæc Melchior Nugnez Jesuita in literis inde missis.

Huc referre lubet admirandam ædificandæ urbis novitatem. In navigatione, qua itur ab Ormutio Goam, non longe à Bazzain, urbs quædam patet, tota in monte lapideo excisa & excavata, perinde ac cælaturæ fiunt: viæ enim plures, domus, vici, plateæ, cisternæque centum ad civium usum: excavata enim hæc omnia sunt, non autem extructa, ut sic una tota civitas uno è saxo constare videatur, tuta à ruinis, inundationibus ac terræ motibus simul ac incendiis, Megu etiam Indica urbs palatia cum ingentibus aulis & ipsa amplissima habet excavato saxo.

Sed & de murorum extructionibus aliquid ut dicamus; Adrianus imperator murum per octoginta millia passuum in Britannia duxit, qui Barbaros Romanosque divideret. Margianam regionem Antiochus circumduxit muro perpetuo, atque in ea Antiochiam quoque ædificavit. Erat autem muri ambitus stadiorum mille quingentorum, id est, prope ducentorum millium passuum, ut memorat Strabo lib. II. Alium Miltiades dux Atheniensium fecit, qui à Thraciæ urbe, quam *μακρόν τεῖχος* vocant, inciperet, supra fidem ingens usque ad sinum Melicum, excluderetque Chersonesum à reliqua Thracia, ut memorat Vives ad libros August.



gust. de civ. Dei, lib. 15. ad c. 27. Quo loco memorat Casarem quoque alium duxisse murum à lacu Lemano ad montem Juram, qui fines Sequanorum ab Helvetiis dividit. Sic Severus imperator murum duxit in Britannia centum & triginta millium passuum longitudine, à mari scilicet ad mare. Sic Anastasius Dicorus murum longum condidit à magno mari ad Selybriam usque pertingentem, ob Mysorum, sive Bulgarorum & Soytharum incurSIONES. Carthaginenses quoque murum sexaginta stadiorum duxerant in suæ urbis tuitionem in Isthmo ipsius peninsulae. Melchior Nugnez memorat, in Sinarum regionibus murum extare, Sinas ipsos à Tartaris determinantem, magnitudine prope inexpugnabilem atque præaltum. porrigique in tantam longitudinem, ut menstruo spatio integro ad illius postremam partem nemo valeat pervenire, ut sic deprehendatur prope ad decies centum millia passuum protendi longitudine.

Porro consideranda hic occurrunt & alia commemoratione digna. Ferunt qui regiones Chineses perlustrarunt, quæ quæversum directas ac lapidibus perstratas vias conspici, in illis regionibus omnium totius orbis amplissimis, non in decies centena millia passuum tantum, aut ad menstruum iter, sed ad octimestre, atque ad septies centena millia passuum, id est, septem millium milliatarum Italicorum directas esse ac perstratas lapidibus vias hujusmodi, tum quæ ab oriente in occidentem tendunt, & ex sunt plures, tum quæ ab Austro in Aquilonem, quæ etiam sunt plures, adhibitis per commodis hospitibus quibuslibet itinerantibus, cum equorum ad itinerantium commodum incredibili multitudine certis locis aptissime constituta. Marcus Polus lib. 2 c. 2, expressius id tradit, scilicet ubique Regia, quæ reges capere possent, hospitia perpetuo singularique hospitibus ali equos curso.

cursores quadringentos, adeo ut itinerationis tantummodo causa numerentur in hujusmodi hospitiiis disposita ducenta equorum millia. Atque hæc in oriente sunt. At in novo orbe ij, qui eum perlustrarunt, non absimilia reperiri memorant. Gusconium enim in Peruaco amplissima urbs regia est: ejus reges longe potentissimi duas vias militares direxerunt è civitate Gusconio in septingentas leucas, id est, ad plura, quam bis mille milliaria Italica, aut forte etiam prope ad ter mille milliaria, quarum una per alpes, altera per vallés ducebat, atque in ijs viis ad singulas septenas leucas diversoria constituta erant, in quibus singulis semper nudus, exarmatus, famelicus quadraginta aut amplius millium hominum exercitus, subito appellens, vestiri, armari, pasci in longum tempus posset. Viam quoque marmore excisam plana ac montana plurima passuum millia, ac perpetuis literis exaratam, meminere Saxo Grammaticus, & Krantius. Sic enim illi: Via est quædam apud Blekingiam admiranda, apta enim itinerantibus est rupes mirandis literarum interstincta notis longissimo locorum tractu: siquidem à Meridiano mari in deserta Verundia petrosa porrigitur semita, quam binæ lineæ exiguo discretæ spatio protractis in longum ductibus complectuntur: inter quas medium loco planum factis ad legendum figuris undique secus exaratum ostenditur, quod licet adeo situ inæquale existat, ut modo montium alta profcindat, modo vallium ima prætereat, eodem tamen tenore literarum vestigia servare dignoscitur. Quarum significationem rex Woldemarus sacri Canuti fausta proles admirationis causa cognoscere cupiens misit, qui rupem permeantes patentium illic characterum seriem curiosiore indagazione colligerent, ac postmodum virgulis quibusdam subijssdem formarum apicibus ad-

nota.

notarent; qui ideo nihil ex eis interpretamenti comprehendere potuerunt, quod ipsa cælaturæ concavitas partim cæno interlita, partim commeantium adesa vestigiis figuratæ protractionis speciem obtrito calle confuderat. Unde conspicuum est, etiam petrinæ soliditatis rimas diutino madore completas, aut sordium colluvione; aut irrigua nimborum instillatione concrefcere. Hæc Saxo in præfatione Danicæ Hiltoriæ.

Ad turres tranſeamus. Turres igitur sunt quidem & ornamenta & munimenta; sed cum superbia eas ædificat, irritæ sunt, quod in altissima ac latissima Babylonica constat, sæpe enim insania eas ædificat. Sic in Cyzico urbe juxta portam, quæ Thracia vocatur, ad stultam voluptatem turres septem ita exædificatæ sunt, ut voces accepto numerosiore repercussu multiplicentur, cui miraculo à Græcis nomen datum est, Echo, Plin. lib. 36. cap. 15. Memorant præterea ii, qui orientem perlustrarunt, admirandam eam esse turrim, quæ visitur in Fucheo Sinarum urbe, quam tradunt superare omnia Romanorum ædificia; est enim extructa super 40. solidas columnas amplissimas, simul & altissimas. Altitudinem putant nonnulli maiorem non reperiri in qua vis turri Italica, sive Cremonæ, sive Bononiæ, quam in Africa urbe Marocco, in exædificata à rege turri; est ambitu pedum ducentum; superat autem longe hunc numerum altitudine. Surgit enim in septem amplissima solaria, ad quæ præplanis gradibus per gyrum ascenditur. Ubi ventum est in summum; patet planities plurima, in qua locata est pyramis in imo patens pedes quinquaginta, longa circa pedes triginta; in cuius summo vertice ordinè locatæ sunt velut veru cõfixæ tres ingentes spheræ argenteæ. Extat & alia turris ad templi usum & ipsa amplissima, in cuius sum-

mo cacumine velut ordine veru confixa conspicuntur tres ingentes sphaera aureæ, quarum præceter ad centum triginta aureorum millia æstimari traditur. Hanc sumtum superansurres in India orientalis regno Mies. Nam regium ibi sepulcrum extat inter duas turres locatum, ipsum quidem aureis argenteisque laminis digitali crassitudine obtegitur. Turres vero ipsæ, præter id, quod in ipsarum summis verticibus aureas & argenteas campanulas ita constitutas habent, ut vento agitatae è catenulis pendentes sonitum suavem edant: etiam ipsarum tecta, quanta (quæ maxima est) latitudine patens, unius quidem argenteis laminis digitali crassitudine, alterius autem aureis laminis etiam pari crassitudine coneguntur, ut tradit M. Polus lib. 2. cap. 44. Altitudinem egræ turris admirari quidem quisque videtur, qui Cremonam proficiscitur, cum per Lombardiam seu Cisalpinam horum agentibus aut navigantibus à multis passim illibus unde quaque spectabilis sit: sed revera Argentinensis altior est; nam ab imo ad supremum culmen quadris & perpulchris figuratis lapidibus tota constat; patetque ejus ascensus cochleis: ubi vero crassities ejus in fastigium incipit acuminari, ibi octo insurgunt cochleæ: vertex qui vix modicæ amplitudinem videtur habere, commode sex homines capit: Altitudo ejus tota pedes habet Geometricos 574. Quod vero de Bononiensi turri diximus, velut ea inter reliquas sit præalta, duo augent de illa admirationem, quod exilis sit, quod ex debilitate fundamentorum in imo dehiscens paululum ad perpendiculum propendeat inclinata ve sit. Est autem illi proxima alia turris tota prorsus inclinata, velut casura: at tamen arte ita confecta est, ut cadere videatur, cum ipsa firmissima sit. At turris, quæ Venetiis apud S. Marcum exurgit, tota in his fundamentis ipso mari substratis ad-

miran-

miranda est, non modo crassitie & altitudine, sed ex gradibus quoque quibus in summum itur. Referemus autem in id Sabellici verba, lib. de situ urbis Venet. lib. 2. Superbissima (inquit) turris occurrit, adeo altis fundamentis innixa, ut pene plus operis latere credatur, quam ad auras exeat: summus apex adeo sublimis, ut fulgor auri quo illudis est, ad ducenta stadia ex alto navigantibus velut saluberrimum quoddam occurrat sidus.

Porro & amplissima & magnificentissima quæque regum ac principum palatia huere ferre, non in eodem modo fore existimo. Eorumque omnium maximum esse putatur illud, quod magnus Imperator Cham inhabitat in Cambalicensi urbe. Cingitur primum muro perpetuo quatuor angulis, quorum quilibet ad octomillia passuum porigitur, ut inde iam deprehendamus, ambitum Romanæ urbe majorem esse; & quod auget admirationem, munitur hujusmodi murus perpetua profundaque fossa, quæ piscinæ usum præbet. Introitus postea altus est murus, etiam perpetuus, ad sex millia passuum per singula latera, frequentissimis etiam exornatus adibus insignibus. Rursus paulo interius murus alius est etiam perpetuus, habens in singula latera quater mille passus, exornatus & ipse amplissimis adibus, consistit etiam hortis ac vivariis ferarum. Ac quicquid viarum est intra hæc septa, lapidibus stratum patet: ibidem quoque in montis manufacti vertice alia amplissima domus exædificata est, uno viridi colore tota perpecta. At ades ipsæ regia, quæ in horum murorum medio extructæ sunt, ex auro tectum habent universum, minio, lazurio atque aliis eximiiis coloribus exornatum. Hæc fides tradit M. Polus rei inspector. 2. c. 6. & Odericus lib. 17 qui adiecit, se triginta apud illum regem vitam duxisse ac omnia perlustrasse, extareque ex au-

ro columnas 24. ac pinum arborem maximam auro illigatam, è qua undecunque pendent ramusculi gemmis uvarum modo referti : plures quoque ibi videri ingentes ex auro serpentes, ac prægrandem solidam ex auro columnam. Ædium autem harum ambitus perpetuo muro cingitur per singula latera ad passus mille ; extrinsecus autem secus murum hunc perpetuum ambulacrum cum podio ac mutulis columnisque exiguis exstructum est, ita eminens, ut quæcunque inde circumcirea prospectari possint. Extat præterea mons, quem manu confectum diximus : is porrigitur ad stadii unius altitudinem, in imo vero ambitus ejus est octo stadiorum, Pyramidis referens formam, quæ non quadrata, sed teres sit, totus arboribus constitus perpetuoque virentibus. Memorat præterea eodem lib. c. 68. regem Famsurejusdem Indiæ ad Quinsai urbem, palatium decem millium passuum ambitu inhabitare, proque tanta amplitudine etiam ornatissimum atque instructissimum. Muros eius fuisse præaltos undecunque : intrinsecus autem longissimas porticus auro & lazurio exornatas, inauratis columnis spectari, solaria omnia auro ornato : ædes quoque reliquas contiguas regiæ magnificentiæ congruas fuisse : & in iis muliebria claustra ornatissima ; leporaria quoque & peramœnos lucos habuisse. Hæc Polus lib. 2. c. 68. Regem præterea quendam in regione Sinarum tradunt, qui ea loca lustrarunt, admirandi artificii inhabitare ædes amplissimas. Primum illud est, esse palatium non muris fultum, sed octo altissimis columnis totum superpositum consistere, non minore firmitate, quam si in ipso firmissimo solo amplissimis fundamentis stabiliretur. Auget admirationem ipsa columnarum altitudo, nam ipsis turrium fere altitudo est, assurgunt enim ad pedes 70. singulæ, quas bini homines comple-

cteren-

ærentur. Aedes igitur his columnis superstructæ caornatissimæ sunt, eximiiis picturis exterius, murisque ipsis etiam inauratis. Cæterum summus Sinarum rex (nam regibus multis dominatur) longe sumtuosiores inhabitat regiam. Aulas etenim septuaginta novem amplissimas continet: atque tantæ vastitatis est, ut dies absumatur tota in ipsis aulis cubiculisque perlustrandis. Ex iis aulis quatuor insigniores sunt, una inferne superneque tota arte, alia argento tota auro & encausto alia, quarta unionibus, pretiosisque gemmis exornata contextaque est. Rex nullo lumine solis se spectandum præbet, sed qui adstant ministri, perpetuo fascēs accensos præ manibus tenent. Si adeatur colloqui aut audire dorum legatorum causa, ingentem ingreditur serpentem artificio factum in palatina arca locatum, cubiculi capacitatem habentem; sex quoque necessarios secum ingredi iubet, fenestella quoque in serpentis pectore est, vitro obducto, ut loquentes ipse quidem videat, et ab iis non videatur. Id tradit Anton. Pigafet. qui adicit huic regi semper in statione palatina custodiæ causa decem milium millia excubare. Est palatium illud ambitu incredibili, cum septemplices muri invicem valde remota omnia ædificia cingant. Visitur ibi solium regium ex ebore, profususque contextum est gemmis pretiosissimis, adeo ut noctu micet corusquetque in tenebris, Reb. Sin. libro tertio, capite secundo. Regis quoque insula Zipangu palatium omne laminis aureis, velati apud nos plumbo, contextum est, solaria eius aureis laminis teguntur, adeo ut nihil audiri possit pretiosius. Sed & Javæ majoris insulae regis palatium est, inque illud pluribus gradibus conscenditur: alterni sunt locati gradus, ut alter aureus sit, alter argenteus: ita quoque aularum muri hac alternatione contexti sunt laminis, sinister argenteis, dexter au-

reis, alius item argenteus, atque alius aureus. Tectum quoque eximio auro compositum est. Simulacra extant plurima ex auro, quorum capitibus diademata gemmis innumerabilibus exornata imposita sunt; qui spectatores fuerunt, referunt in orbe nihil reperiri preciosius. Nec prætermittendum videtur aliud, quod in Perside est prope Taurim; est enim octangulare extrinsecus, intrinsecusque encausto atque auro incrustatum. Continet eximii artificii atque amœnitatis incredibilis hortos. Est & illud non omittendum palatium, quod in amplissima urbe Ochia in Sornai regno conspici tantummodo exterius licet: nemini etenim profus ingredi permissum est, præterquam regum oratoribus. Extrinsecus quidem stanno undequaque muri obtecti sunt: intrinsecus autem omnia auro contacta eximio conspiciuntur. Ferdinand. Mendez anno Domini 1554. Hæc equidem in Asia admiranda regum palatia, quibus similia non conspicienda in Europa, quamquam artificio sint aliqua memoranda digna, velut apud Constantinopolim recollit Luitprandus Ticinensis Diaconus, quando Berengarii nomine ad Constantinum Imperatorem legatione perfunctus est, anno Domini 950. Scribit enim se in regiam fuisse exceptum. Erat illa ornata sumtuosissime, ibi arca inaurata arbor ante ipsius Imperatoris solium assurgebat, expansis magnum in modum ramis æreis atque inauratis, in his frequentissima variarum specierum aves arte confecta, quarum singula species proprias voces cantusque emittebant incredibili arte. Regium autem solium miro erat confectum artificio, ut momento videretur humile, atque in ipso solo esse velut depressum, postea momento in sublime, elatumque appareret, neque ulli cognitum esse poterat, qua id arte fieret, adeo sublimè, velut solario compar, conspiceretur, nullis conspe-



conspicis, aut instrumentis, aut machinis: erant sedilia e-  
jus amplissima, quæ leonum simulacra auro tecta custodire  
viderentur. Delatus igitur est Luitprandus in Imperatoris  
conspicuum, duorum eunuchorum humeris innixus, mox  
ubi coram adstitit Imperatori, leonum simulacra illa rugi-  
tum quendam emisere: avium quoque simulacra quælibet  
pro sua specie vocibus obstrepebant, ac cum pronus paulum  
ab Imperatore distans illum adorasset in humili sedentem,  
vix erigens cervicem conspicit illum jam mutato imperia-  
li amictu juxta aulae laquearia sublimem sedere. Hæc qua  
arte confecta fuerint, nullo ingenio assequi se potuisse con-  
testatur Luitprandus, nisi forte qua arte trapetiorum torcu-  
laria conficiuntur, celerrimo motu id fuisset excogitatum.  
Hæc ex illius, libro 6. cap. 2. Et sane in Pisauriensi ducum  
Urbinatium villa imperiali conspiciuntur ea arte confecta  
sedilia, quæ quamquam pavimento sint proxima, momen-  
to tamen in laquearia usque tracta conspiciuntur cum ses-  
soribus, trapetiorum simili vertigine, quinetiam in ipsum  
supra solarium feruntur, ut ulterius non conspiciantur. Hu-  
jusmodi atque alia in regis domibus artificia in Europa non  
desunt: nam & frondibus velut muris palatium in Hispania  
visitur proxime Valentiam; hortos enim an ædes, nescias  
dignoscere. Id his verbis Laurentius Valla exprimit, rerum  
Hispan. lib. 3. Proxime, inquit, Valentiam Hispaniæ horti  
sunt, non tantum citris consiti, sed etiam citreis parietibus  
vivente materia conclusi, ut dubites, hortine sint an ædes.  
Nam cum nihil aliud insit, quam arbores frugiferæ atque fe-  
lices, manu positæ, institutæ, digestæ, quid nisi horti dicen-  
di sunt? Rursum cum audis extrinsecus esse parietes, intus  
aurem aulam, conclavia, curiam, item facella, altaria, se-  
dilia Canoniorum, thronum Episcopi & cætera hujusmo-  
di, non

di, non aliud quam ædes esse putaris. Sunt autem parietes ex truncis citrorum confecti & tamen frondibus vestiti, ut percipi introrsum nequeant, nedum intrari: ita cum rami adolescunt, intorquentur atque inflectuntur, ita insiti atque inserti, confiti atque conferti coalescunt, ut omnes rimæ expleantur, ut nihil vacui relinquatur, ut pariter firmitatis & decoris ex frondibus ratio constet, eodem pacto introrsum, quæ enumeravi, composita sunt, clericis laicisque deservientia: pavementum laterculo quadrato vitreatoque accipitro constratum est, velut paradisus quidam terrestris. Hæc Valla. In Africa quoque recensentur ædes regum magnificentissimæ, velut apud Memphim describit Jovius historiarum suarum libris. Sed illa admiranda est domus, quæ fuit Chebreni regis Ægyptii, cujus altitudo ad stadii mensuram porrigitur, pertingens ad cujuslibet pyramidis summi cacuminis altitudinem; tota extructa ex Æthiopico lapide, & ne solum cælum petere altitudo videretur, etiam inferna admiranda continebat: subterranea enim ejus ad quadraginta deorsum pedes descendebant. Herod. lib. 2. cap. 10. Quæ quidem palatii structura firmitior est quam ea, de qua Petrus Martyr meminit in summiario rerum novi orbis. Tradit enim Abibeibam regulum inhabitare paludem ingentem, in qua arbores excelsæ frequentissime, quæ perinde ac nemoroso solo frondeat. Ipse igitur cum reliquo ejus populo arbores inhabitat, constructis pensilibus casis: tanta enim sunt amplitudine arbores, ut octo viri conjunctis ulnis non complectantur. Ferunt igitur magnam illarum dormorum contignationem, tametsi vento impellente nutare videatur, nullus tamen metus illis neque periculum, omnes illorum opes, gazæ, & thesauri, supellex, escæ, in ijs domibus asseruantur, præter vinum: nullus ibi metus ferarum  
neque

neque hostium, nisi rate vehantur. Hæc ibi Petrus Martyr. Quin idē tradit in Castilia novi orbis populos adeo frequētes inhabitare plantis, ut dicere jure possis, oppida in arboribus esse. Atque his sane longe minor sumtus est in extruendis domibus, quam reliquis novi orbis incolis, præsertim si comparentur indigenis provinciæ Topiræ, in qua domos contegunt aureis laminis, si credere libet Francisco Vaszquetz, qui in illa urbe novæ Galitiæ præfecturam gerens ejus rei literas conscripsit, quæ extant apud Ramusium tomo tertio. Cæteri longe minori sumtu ac longe minori ornatu sunt domorum tecta Aquilonarium quorundam, quinetiam majore emolumento; etenim nonnulli populi in domorum tectis ferunt hordeum ac reliquas fruges: præcipui enim humo domorum tecta conservant, semperque ea arte virescunt ad suum & pecoris alimentum. Ad inveniendi autem circa tecta hujusmodi industriam causa fuit frequentium fulminum metus; humor etenim perpetuus & virens olus disjicit fulminum ignes, ne hæreant, Hæc Olaus lib. 12. c. 3. Eodēque nomine commendandi sunt ij Aquilonares novi orbis populi, qui domos piscium ingentium coriis contegunt, quod memorat Ramusius tomo 3. in nova Francia.

At quo feror? Omnia mundi climata percurro, omniaque adduco, quæ ad celebritatem urbium, in quibus regniæ olim sedes fuerunt, faciant. Externa allego, domestica negligo. Annon unica Roma omnium vice sit? præsertim si consideretur, qualis olim fuerit; perquam enim multum ab antiquo illo splendore hodie recessit. Audiamus vero Plinium de amplitudine urbis Romæ lib. 3. cap. 5. loquentem: Urbem tres partēs habentem Romulus reliquit, aut (ut pluribus tradentibus credamus) quatuor. Mœnia ejus colle-

gere ambitu imperatoribus censoribusque Vespasianis, anno conditæ urbis octingentesimo vigesimo octavo, passus tredecies mille ducentos, complexa montes septem ipsa. Dividitur in regiones quatuordecim, compita eorum ducenta sexaginta quinque passuum ejusdem spatii mensura currenti a milliario in capite Romani fori statuto ad singulas portas, quod sunt hodie numero 37. ita ut 12. portæ simul numerentur, prætereanturque ex veteribus septem, quæ esse desierunt. Efficit passus per directum trigiesies mille septingentos sexaginta quinque. Ad extrema vero tectorum cum castris prætorii ab eodem milliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius septuaginta millia passuum. Quod si quis altitudinem tectorum addat, dignam profecto æstimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuisse ei comparari. Clauditur ab oriente aggere Tarquini Superbi intra prima opere mirabili; namque cum muris æquarunt, quæ maxime patebat aditu plano. Caterum munita erat præcellis muris aut abruptis montibus, nisi quod expatiantia tecta multas addidere urbes in prima regione. Hæc Plinius. Quibus persuasum nobis videri potest, venientibus Romam ædificia ac tecta reliqua urbi adjacentia cœpisse videri: imo cœpisse esse Oricoli oppido, quod hodie ab urbe distat triginta & eo amplius passuum millibus, continuisque ædificiorum structuris hoc omne, quod superest, usque Romam via hinc inde ornabatur, adeo ut qui paululum ejus viæ ab Oricolo confecisset, jam se Romam ingressum putaret, ut recolit Leander. Ideoque, quod Vopiscus habet, Aurelianus Imperatorem ampliassse urbis Romæ muros ad quinquaginta fere millia passuum, quod & Cassiodorus habet in Chronico, & Oros, lib. 7. cap. 23. non ita accipiendum est,

ut omnia ædificia hoc ambitu continerentur; sed tantummodo ipsius urbis mœnia montesque ejus septem: at suburbia tecta que reliqua extra urbem ad eam dimensionem, quã diximus ex Plinio, porrigebantur. Quod igitur Plinius ait, expatiantia tecta multas addidisse urbes; argumento est, omnem circum circa regionem ædificiis ita cultam, ut Romæ adesse quisque videretur, etiam longe absens. Id manifestum facit Constantius Imperator & alii, ut ex Ammiano memorat Leander. Veniens Romam Constantius itineris comitem sibi adhibuerat Hormisdam, peritissimum architectum genere Persam: Oricolo igitur discedens suis præcepit Constantius, ne quisquam Hormisdæ Romæ initium significet, sed suo ille judicio animadvertat. Suburbiorum itaque parte maxima transacta, Hormisdam interrogat Imperator, quid sibi de urbe Romæ videatur, & quantum jam itineris in ipsam confectum conficiendumve esset; respondit Persa, putare jam urbis dimidium inambulasse, adeo splendida continuaque jam ex Oëricolo suburbiorum ædificia semper fuerant spectata. Qui igitur nondum in urbem pervenerat, jam se in urbe esse putabat; eum multis adhuc abesset passuum millibus. Ex Oricolo igitur suburbiorum erant initia: quod & Claudianus subindicat in sexto Honorij consulari, ubi sic habet:

*Inda salutato libat is Tybride lymphis.*

*Excipiunt arcus, operusaque semita vestis*

*Molibus, & quicquid tantæ promittitur urbi.*

Dionysius quoque libro 4. suffragatur his verbis: Sunt omnia (inquit) circa urbem habitata loca: multa ea & magna facilinamque adventibus hostibus fieri obnoxia, si quis aliquis ad hæc spectans velit Romæ magnitudinem exquirere, is & errare cogetur, nec habebit signum ullum certum,

quousque sit hæc urbs progressa, aut unde esse non amplius urbs incipiat, ita urbi contexta est regio, præbetq; spectantibus opinionem extensæ in infinitum urbis. Aristides quoque sic ait: Descendit hæc urbs usque ad mare, ubi commune emporium, communisque omnium, quæ terra eveniunt, dispensatio: quacunque in parte ejus urbis constiterit quis, nihil prohibet, quo minus sit pariter in medio. Quicquid nunc Italiæ restat, completura esse mihi videtur, unaque futura urbs perpetua in Jonium mare protensa. Hæc ille. Recolite eadem Antonius Massa Galeusius J. C. apprime doctus in libello de origine Faliscorum. Addere libet, quo magis miremur, & ut Plinium seniore recte scripsisse testemur, ad septuaginta millia passuum Romam protensam fuisse; non modo usque ad mare ipsam pervenisse, verum etiam ipsum littus Ostiense ad multa passuum millia perpetuis propemodum ædificiis ornatum spectabatur. Referam in id verba Plinii junioris in Epist. ad Gallum lib. 2. Littus (inquit) ornant varietate gravissima, nunc continua, nunc intermissa tecta villarum, quæ præstant multarum urbium faciem, sive ipso mari, sive ipso littore utare. Hæc ille. Quanta autem ejus urbis tum majestas esset, vel inde patet, quod mille senatores esse consueverant, licet plerique abortivi, sed horum immodicum numerum correxit Augustus, cui libet censu annuo aureorum triginta millium adscripto, ut Suetonius memorat in reformatione senatus Octavij & recollit Budæus de Ass. lib. 2. qui lib. 5. adjicit, cum senatoribus census adscriptus esset singulis ad quingentâ sestertia annua, paupertati tolerandæ id erogari consuevisse: ut ita duodecim millium census senatorius paupertatis nomen non amitteret, cum hodie in senatu sacro, qui duodecim hujusmodi millium aureorum censum habuerit, inter divites con-

scriba-

scribatur, præter id, quod longe majoris æstimationis erant Romanorum tempore illa duodécim, quam hodie triginta, adeo aureorum valor est immutatus. Attamen etiam Adriani tempore, cum is aliquando Centumcellas urbem veterem scilicet refocillandi animi causa diverteret (ut auctor est Cæcilius) cellas centum iudiciibus, ut se ibi præsentibus causas audirent, extruxit, quæ postea in urbis justæ formam cum crevissent, Saraceni Bernardi regis tempore (fuit autem hic Caroli M. nepos, qui Italiam Longobardis pulsus obtinebat) diruerunt. Hic D. Augustinus de Trinitate libros composuisse dicitur, teste Egnatio in scholio ad Commodum. Ideo autem diximus Centumcellas urbem veterem, ut moneamur, Centumcellas in Baiano quoque sinu repertas, de quibus Leander in Campania. Civium Romanorum copiam tradidere plerique: in ijs Eusebius Chronico sub Claudio, & Freculfus & alii, comperta fuisse aliquando ad LXX. centena CLXIII. millia, & eo amplius: quanquam nonnullis videatur, non ita cives conscriptos, qui Romæ degerent, sed qui per orbem Romani civis nomine decorarentur. Quin &, ut Polybius scribit, in publicis Capitolinis tabulis fuisse descripta ex omni Italia septingenta peditum millia, ac equitum millia ducenta. Sed quod nusquam ab orbe condito contigit, erant civium Romanorum opes tanta, ut dives non putaretur, qui annuo redditu suis sumptibus legionem alere non posset: fuisseque ejusmodi plurimos, vel inde constat, quod Lucullus Romanus civis (quem Cicero & Cæsar Xerxem togatum appellabant, ut Plinius & Blondus memorant) ad viginti quinque hominum millia honorificentissime hospitio excipere poterat; nec tamen ipse solus id potuit in urbe Roma, quandoquidem viginti civium millia, & eo amplius in ipsa urbe comperta memorantur,

rantur, qui cum Lucullo de divitiis contendere potuissent; ut ex vetustis monumentis solo argumento hoc Franciscus Albertinus affirmabat Pontifici Romano Julio II. omnibus, qui orbem incolunt; regibus persuaderi potuisse, nullam unquam urbem fuisse futuramve, quæ Romæ divitiis æquare possit. Ut autem verisimile id videatur, suadet, quod Suetonius meminit, Cæsarem Campum Stellatæ majoribus consecratum, agrumque Campanum ad subsidia Reipublicæ vestigalem relictum divisisse extra sortem viginti millibus civium, quibus terni pluresque liberi essent: quod minus tanti fecerunt cives illi, qui acceperunt, ut tanquam una sodalitas inde effecti, pro communi omnibus elogio ac titulo in monumentis se singuli Stellatæ inscripserint, ut memorat Blondus, qui adjicit, intra urbem cives illos omnes fuisse conscriptos, fuisseque non solum viginti, sed multo plura civium millia tum Romæ, qui ædium, suppellectilis, familiæ & apparatus omnis splendore, lautitiaque eminent. Quantum autem ille Stellatæ campus esset, deprehendere licet è Livii Decad. I. libro 3. libro 9. & 10. & Dec. 3. libro 3. Quod si forte ambigamus, non viginti millia, sed duo millia civium Romanorum tantæ opulentia extitisse; adhuc incredibile videri potest & longe admirandum, ut si animis concordassent, potuissent milliones multos militum conscribere, si unicam tantum legionem quisque eorum aliusset. Erant autem Romæ innumeri valde divites, sed in eorum, quos diximus, numerum non referebantur: ac prætermissis reliquis sint nobis exemplo duo Plinii viri doctissimi & divitiis etiam affluentes. Senior enim præter id, quod Romanam classem imperio regēbat, pecuniæ plurimum possedit; idque inde deprehendimus, quod cum procuraret in Hispania, vendere potuerit electorum commentarios



Largo Licinio quadringentis millibus nummum : respuisse autem tam magnum pretium constat. ob id, quod sibi afflueret pecunia. Scripsit hoc nepos Plinius ad Marcum, lib. 3. Alter igitur hic junior Plinius ditior certe fuit seniore avunculo : at opes ejus in eum, quem diximus, ditissimorum hominum numerum referri non potuerunt. Quantum autem pecuniarum illi afflueret, munificencia demonstrat, qua ille non secus insignis fuit, quam sunt nostri temporis summi principes. Nam Quintilianus filiam nubenti non rogatus ultroque contulit quinquaginta millia nummum, idque munusculum nuncupat scribens ad ipsum Quintilianum lib. 6. Romano quoque Firmo sibi ab adolescentia cognito, ut in equestri ordine cooptari ille posset, dono dedit trecenta millia, extat Epist. libro 17 ad ipsum Romanum. Calvinia præterea affini centum millia dotis nomine largitus est Epist. lib. 2. ad ipsam Calviniam. Suo quoque municipi Metilio Crispo, ut ad equestrem ordinem, in quem conscriberetur, sese instrueret, dono dedit quadraginta millia. Epist. ad Hispanum libro 6. Ad alendos ingentos pueros quingenta millia contulit, triginta scilicet millia annua. Epist. ad Caninium libro 7. At quantus fuit in res alias pro opportunitate absumtarum pecuniarum numerus minore summa, quarum nulla in scriptis mentoria : quantum quotidie, non dico in domestico sumtu, in amicos, necessarios, calamitosos quoque profudit, illa, quas diximus, ingentes erogationes nos docent, quantum minoribus erogare potuerit. Animadvertimus igitur liquido, num summi nostri seculi principes illius munificentiam superent. Erant certe illi villa tanto ornata & sumtu exculta, ut regiam majestatem adæquarent. Tusci sui villa scilicet apud Tifernates, sicut & Laurentini in littore Tyrreni maris, de quibus scripsit

psit in suis Epistolis disertissime, regum magnificentiã adæ-  
quabant. Habuit præterea plures villas in ripis lacus Larii:  
habuit Prænentinam, Tusculanam ad Tyburtinam, splendi-  
das omnes; habuit & alias, quarum unam vendere potuit  
nongentis millibus; ipse id mentorat Epistolis ad Fabianam,  
& ad Coreliam, libro tertio. Quid moror? additamentum  
villæ unius illi fuit centum sestertio tricies, id est, octoginta  
fere millibus aureorum; Epist. ad Calvisium Ruffum libro 3.  
Sed, cur adeo multa de juniore Plinio? ob id certo, quod  
quicquid confert ad ejus gloriam, recidit ad Christianorum  
laudem. Deus enim cœli & terræ dominus contulit homi-  
ni viventi, velut rependens gratiam humanarum rerum,  
quod apud Traianum Imperatorem suis ex Asia literis ege-  
rit, ut persecutio Christianorum intermitteretur, quod ex-  
oravit, editis in id à Traiano publicis literis: cum ipse Plini-  
us jam pridem, quoad se spectaret, abstinuisset persecutione  
Christianorum, quorum institutum potius laudaret; ex-  
tant enim & ipsius Plinii & Traiani literæ libro decimo, æ-  
quum igitur fuit, ut tanti hominis acta hoc loco recenserentur.  
Libet præterea & de Seneca Sancti Apostoli familiari  
recolere, ter millies sestertium habuisse, Tacito & Budæo  
testibus; atque ita supra septem milliones possedit. Et eæ  
quoque Senecæ opes non conscribuntur inter eas, quas su-  
præ diximus. Sed de hac re hætenus.

Excedebat igitur Romana majestas omnem orbem,  
jureque Cyneas Pyrrhi Epirotarum regis legatus & Constan-  
tius Imperator Constantini Magni filius dictitabant: sese in  
urbe tot prospectare reges, quot cives viderent. Externa  
autem urbes, quarum meminimus, non adeo omni ex par-  
te Romæ comparanda sunt, licet aliquo nomine ei præfe-  
rantur

rantur, vel ambitu, vel civium numero, vel populorum adjacentium illa incredibili multitudine, quam apud Mexicanum esse recolimus.

Sane solitudini Roma esset similior quam urbi, nisi sedes Pontificalis ibi fixa visis principibus, nobilibus ac praelatis urbem augetet, nisi maximo hominum numero, qui sibi & suis inserviunt, urbem repleret, nisi splendidissimis ædificiis, aquæductibus, fontibus, vicis, aliisque rebus nitidissime urbem exornaret, nisi venerandis negotiis, quorum nonnulla cultum religiosum, nonnulla civilem politiam concernunt, ecclesiasticos redditus impenderet, nisi his rationibus tot negotiatores, tot propolas, tot artifices, tot opificia, eorumque cultores attraheret & detineret. Rebus ergo ita ut nunc, seu olim verius, Romæ stantibus, non facile ea urbs alteri urbi, quæcunque tandem ca sit, omni ex parte cesserit.



VRBIUM ORIGINE, MA-  
GNITUDINE ET SPLEN-

D O R E

LIBER TERTIUS.

CAPIT. I.

*Verum expediat civitati, paucos an vero multos habere cives?*

**C**um nimia hominum frequentia civilis vitæ ordinem & disciplinam reddat difficiliorem (quandoquidem multitudo perpetuis erroribus implicatur) visum fuit veteribus urbium fundatoribus certum civium numerum designare; qui si excederetur, fieri haudquaquam posse putabant, ut Reip. suæ pax & tranquillitas constaret. In hac opinione fuerunt Lycurgus, Solon, Aristoteles & alii plures. Cujus rei hanc potissimum habuerunt rationem; quod rara sit in nimia multitudine (quæ præter loci capacitatem confluit) concordia; rara morum ac studiorum similitudo; quo circa optimam eam esse Reipubl. formam statuerunt, si, quantumvis immensa & numerosa, civitas ex mediis civibus sit compacta ac constituta; quæ neque abundantia rerum nimia inolescere, neque nimia rerum penuria contabescere videatur, ubi quisque sorte ac fortuna sua contentus in ea vivit, minusque aliena appetit, unde magna vis amicitia civilis nascitur; in qua vivit, viget, floret & conservatur civitas: quo ergo majores sunt civitates ex mediis civibus constitutæ, eo minus seditionibus sunt obnoxia, atq;

ob

ob eam causam magis sunt stabiles ac diuturnæ : quæ quidem est sententia Aristotelis Polit. cap. 2. & 5. & Platonis 3. de legibus. Quibus & hoc additur, quod ubi de quantitate ac numero civium certo constat, non tam proclive ac facile in ferendis legibus erratur, omnino enim leges pro quantitate & qualitate civium temperandæ sunt, ne susceptus labor in legibus ferendis inanis & otiosus fiat, ne concertus & harmonia civium in extrema divitum pauperumque odia discordiasque commutetur, unde velut paralysis & convulsio membrorum in corpore civili non sine magno dispendio nascitur. Sicut enim quantitatis ac qualitatis proportio in corpore naturali venustatem : ita utriusque debita consideratio in corpore civili singularem unitatem efficit ; quippe ut illis in quandam temperiem naturæ vi redactis multa membra specie distincta unum corpus : ita eisdem in civitate ad quandam consensum deductis variæ Reip. partes, quæ officio distinctæ sunt, una civitas efficiuntur ; quæ si intra prædictos terminos contineatur, non est, ut ait Arist. verendum civium divortium. Invehiturque Aristoteles graviter in eos, qui à multitudine civium potentiam civitatis magnam metiuntur ac definiunt. Magnum enim (inquit) proprie id dicitur, quod opus, ad quod destinatur, expedite potest perficere ; hoc autem in civitate non immensa turba numeroque hominum, sed certa & excellenti facultate civium definitur. Non ergo (concludit Arist.) à vastitate loci, non à civium numerosa turba, non à multitudine rerum, sed ab egregia potentia & (ut ita loquar) sufficientia feliciter ac fortunate agendi magnitudo civitatis pender. Nam quemadmodum in re militari non militum confertissima multitudo, sed vis & ordo magnam victoriam præstat : ita in re civili non sylva hominum, sed optima dispositio & po-

tentia civium magnam urbem aut civitatem facit. Altera ratio a comparatione ducta suas vires in natura habet. Sic enim Aristoteles : Civitas magna dicitur, ut Medicus ille Hippocrates magnus fuit ; non quidem vastitate corporis sed artis excellentia : sic civitas magna non numero sed potentia habenda erit. Deesse in hac re exempla non possunt, sic magnus Alexander, magnus Pompeius, sic magnus Caesar fuit. Præterea cum multitudo in civitate sit duplex, civium nimirum & eorum qui servi, inquilini & peregrini dicuntur, quod si servorum ac peregrinorum augeatur numerus, funestior civitati afferri pestis non potest, Insuper conferta, & ut ita loquar, infinita hominum caterva nec facile in ordinem cogi, nec ratione coerceri, nec legibus sapienter dirigi & gubernari potest. Impedit enim rectam imperandi formam numerosa multitudo hominum, nisi divina mens ac potentia esset, quæ civitatem & urbem, ut Deus ubique subsistens, terrarum orbem regeret : nimia ergo & exuperans multitudo civitatis leges violat, ordinem pervertit, dignitatem obscurat, contemnit magistratum, omnem perniciem ac confusionem parit.

Verumtamen quoniam multitudo ad complendam civitatis magnitudinem requiritur, quanta & qualis debeat esse hæc magnitudo, dubitari non abs re potest. Huic ergo dubitationi obviaturus Aristoteles, quandam, inquit, magnitudinem requiri numero completam, hoc addito, ut neque excedat modum neque deficiat nimium ; justam autem proportionem noveris, si egregie præstare possit civitas id operis, ad quod destinatur. Nam ut tum satis sanum corpus humanum dicitur, cum nulla vel totius vel partis actio impeditur : ita civitas satis tum magna habetur, cum facile suis officiis muneribusque fungitur. Sic enim fit in civitate,

ut

nt in naturæ ætiffe opere : nam ut animal, homo, planta respectu naturæ ad proportionem perducens omnia si partes abundant aut deficient, dicuntur monstra; & ut navigium palmi unius longitudinis, aut ad duorum stadiorum longitudinem porrectum omnino inutile & ineptum est navigationi, aut quia nimis parvum, aut quia nimis magnū existit: ita civitas quæ nullam symmetriam & proportionem suæ magnitudinis & parvitatæ habet, habetur illa quidem aut vana aut nulla. Nam si sit nimis exigua, omni eventu fortunæ deficit & labascit; si vero sit instar Babylo- nis immensa, præco (ut inquit Aristoteles) sonoram vo- cem Srenoris habere debet; nam aliter in publicandis edi- ctis percipi & audiri non potest: quasi diceret, si civitas sit nimis magna, confusa quoque erit. Concludit ergo, civita- tem tum esse satis magnam, cum tanta in ea est multitudo, quanta ad bene beateque vivendum sufficit, quæque suis bo- nis contenta est. Ad extremum; In vasta & nimis populosa civitate civium classes non sunt probe distinctæ, illorum or- dines non sunt satis noti, imo quod est maximum, cives ci- vibus, & illorum ordines magistratibus ignoti sunt. At ve- ro ubi cives civibus ignoti sunt, ibi necesse est munera civi- tatis minus considerate distribui, judiciaque minus juste & sapienter fieri; circa quæ duo aut negligenter agere aut tur- piter errare valde periculosum est civitati. Non ergo in po- pulosa multitudine hominum, sed in justa proportione ac potentia civium materia civitatæ aut magnitudo cernitur. Atque hucusque ex sententia Aristotelis.

Romani vero, quibus exploratum erat, potentiam, si- ne qua respublica stare non potest, maxima ex parte in po- puli multitudine consistere, omnem moverunt lapidem in- augenda patriâ tam adificiorum numero quam hominum. De quo etiam in lib. de Illust. statu prolixè dictum fuit.

Sane

Sane si pari ingeniorum ac morum ratione omnes homines ducerentur, utique veterum opinio non esset admodum improbanda. Cum vero aurum non sit sine scoria, granum sit sine palea, id est, cum homines non sine infirmitate vivant, & loco justitiæ atque æquitatis, vis prædominetur, ob id Græcorum opinioni, Latinorum sententiam anteponendam merito statuo. Docent enim historiæ, Lacedæmonum & Atheniensium respublicas (cæteras jam omitto) amissis in prælio septendecim virorum millibus, ilico concidisse: Romani vero quamvis pluriès victi cederent, victores tandem triumphasse. Certum est, Romanos in bellis contra Pyrrhum, Carthaginenses, Numantinos, Viriatum, Sertorium, majores accepisse clades, quam hostes; nihilominus tamen semper victores extiterunt, beneficio multitudinis, qua hostem quantumvis fortem & alacrem non raro ipsi sparsi & repressi non minus quam fortitudine superarunt.

Cæterum cum in superioribus libris prolixè satis actum sit de ratione amplificandarum urbium, proinde hic repetere supervacaneum ducentes, lectorem eo remittimus. Unicum duntaxat colophonis loco, non quidem ut apprime necessarium, sed quia lucem haud parvam operi huic allaturum existimavi, annectere, atque ad differendum propinare visum fuit.

## CAPUT II.

*Quid cause sit, quod urbes, floris suæ maturitatem affectas, raro maius sumant, augmentum imo sæpius decrescant.*

**N**ON desunt qui hætenus adductas rationes, quasque posterior ætas inveniat, iudicent ineptiores, quam quæ accessio.



cessionones perpetuas civitatibus adjungant. Itaq; probe considerandum, ecquid causæ sit, quod urbs certam potentiam metam semel affecta non altius progrediatur, majorique civium numero non augeatur.

Satis documenti in omnes casus est Roma, quæ teste Dionysio Halycarnasseo, cum primum à Romulo condeditur, 3300 viris bellicosus constabat, atque intra triginta septem illos annos, quibus Romulus regnavit, ita excrevit civium numerus, ut adhuc eo vivo quadraginta millia septem millia virorum bellicosorum Romæ numerentur: Centum & septem annis post obitum Romuli, regnante Servio Tulio Romanorum rege, civium, qui arma ferre poterant, octuaginta millia Romæ numerabantur. Tandem crescens urbis potentia ad quadringentis quinquagies millia pervenit. Hinc quæstionis est; cur Romana incunabula ad tam immensam potentiam excreverint, multitudinem autem illam nunquam transcenderint? Quod idem de Venetiis ac Mediolano quæri eadem prorsus ratione potest, quippe quæ & ipsæ ante annos quadringentos tanta civium multitudine, quanta hodie, constiterunt.

Sunt qui pestem, bella, annonæ caritatem aliaque accensent. Querela certe, me iudice, iniqua. Quæ enim hominum ætas non sensit grassantem pestem? An non plures olim in præliis cecidere quam nunc? Aperto Marte veteres confligebant, ubi tribus horis major expirantium numerus erat, quam aliquot annis jam hostis obruncat. Hodie aperto Marte nunquam fere pugnatur. Muri hodie loco clypeorum objectantur, intra quos delitescitur, è quorum angulis plerique insidiosè conficiuntur; rastra & arma pugnantium æquali sunt pretio. Quin etiam mundo suæ semper fuerunt vicissitudines: tam annonæ vilitas quam caritas, tam

fanus quam infectus aer fuit; quod cum ex historiarum monumentis satis constet, longius non abibo.

Quid igitur? Cur auctæ urbes ut ab initio, porro non itidem augentur? Adferunt huc nonnulli Dei omnipotentis, qui cuncta gubernat immotam voluntatem, fatalemque ordinationem. Verum hoc dubium nemini. Posteaquam vero divina sapientia, nullis terminis, nullis finibus, circumdata & inclusa in omnia diffusa est, in gubernando naturæ cursu non rejiciens causas secundas ulterius quæro: Quænam illa sunt media, quibus usæ divina providentia pauca multiplicat & auget, aucta vero intra certas metas cohibet, ulterius ut progredi non queant.

Pro quæstionis solutione ajo; posse similiter de genere humano quæri. Propagatum enim ab uno mare & foemina intra tria millia annorum ita auctum est, ut & insulas maris & continentem suo semine replerit. Cur vero illius temporis augmenta desierunt? cur nostra ætate non similiter multiplicantur?

Ut autem quæstioni satisfaciam; ita ad eam respondebo, ut non tam ad civitates, quæ numero civium non amplius augentur, sed etiam ad universum hoc mundi theatrum applicari hæc responsio possit. Ajo itaque:

Multitudinem civitatis aut à virtute generativa aut à nutritiva proficisci. Virtus Generativa usque huc sui similis aut saltem ita comparata, qualis fuit ante tria millia annorum. Æque enim homines ad suscipiendam prolem apti sunt, atque tempore Davidis, Moysis. Fac igitur nihil aliud obstare, annon urbium incrementa erunt infinita? Posteaquam vero in infinitum non augentur, est ut sublato digito fatearis, rem omnem inopiæ alimentorum imputandam,

Alimenta aut ex nostra tellure, aut peregrina petuntur,  
omnis-

omnisque urbis incrementa victualibus aliunde investis juvantur. Ut autem obtineamus, frumenta ex longe remotis terris nobis advēhi, est ut virtus attractiva tantarum sit virium; quæ vincant salebras & asperitates regionum, vallium profunditates, impetus torrentium, pericula maris, insidias piratarum, instabilitatem ventorum, magnitudinem summatuum, incommoditates viarum, invidiam vicinorum, inimicitias hostium, tempus vecturæ, annonæ caritatem in ijs locis, unde merces deportantur, dissidia nationum, disparitatem religionis, &c. Hæc enim omnia pariter cum incremento & decremento urbis accrescunt & decrescunt: donec eo deveniat potentia ubi humanæ invidiæ & odio nullus amplius desit locus.

Quis enim quæso persuaserit mercatori, ut frumenta ex India Romam mittat: aut, ut Romanus ea inde expectet. Fac autem utrinque mitti & expectari, quis in regionibus illis ubique pollicebitur latos & uberrimos frugum provenus, populorum amicitias & pacem, comæatus & itinera tuta? Aut quo pacto Romam invehentur frumenta illæsis aurigis aut baiulis, ne labori succumbant & sine fortunarum dispendio eant.

Vel unicum de his impedimentis sufficit ad disjiciendum urbium cives, externo auxilio destitutos, tot vero & tantis incommoditatibus immerfos, & dispergendum. Vel unica caritas, famis bellique violentia, impedimenta negotiationum aliæque sæ virium habent ad commovendos cives, ut, (cœu hitundines adventante hyeme) conclamatis vasis alio se recipiant.

Ordinaria civitatum magnitudo consistit in his terminis, quibus vix contentæ esse possunt. Omnis verò civitas, quæ alimenta sua aliunde per prædictas incommoditates

contahit, diu durare nequit. Sic enim affectus est quisque, ut omnes opportunitates, quæ obvia patent, quam diligentissime capteret.

Accedit hæc quod urbes majores, caritatibus facilius subiaceant, quam minores: quod pluribus alimentis egent. Gravius etiam pestis illis immorari solet, quia lues illa urbes hominibus pluribus abundantes vehementiore contagio afficit, pluresque tollit, quam pagos, ubi minor est hominum frequentia. Paucis ut perstringam: A magnis urbibus nihil illorum abest, quæ supra recensui: cum quoque pluribus indigeat, quæ ex se mutuari nequit. Hinc effectum est, ut, quamvis eadem vis generandæ prolis & in primis Romæ auspiciis & in ejusdem flore permaneret in civibus, nihilominus ceu pede fixo substiterit: quia virtus Nutritiva altius ascendere nequivit. Subsequentibus temporibus, cum victualia magis magisque deficerent, aut nulla juncta sunt matrimonia, aut ut maxime juncta sint, liberi tamen egestate pressi animo ab educenda prole abjecto, ex patria meliorem fortunam periclitaturi migrarunt. Huic malo ut Romani tempestive occurrerent, colonias deduxerunt: solum eo, ut ceu plantæ translatae latior illis ansa præberetur ad commodiorem vitæ sustentationem.

Sic quoque genus humanum certum numerum attigit, nunquam cancellos, quibus seipsum quasi circumdedit, transgressum. Abierunt autem tria millia annorum, cum non minor, atque nunc est, in mundo viveret hominum copia. Fructus enim terræ non sufficiunt pluribus alendis. In Mesopotamia primum genus humanum augescere cœpit: inde progressu temporis in omnes terræ fines est diffusum. Tandem repleta continente insulæ habitari cœpta: donec tandem multis vententibus annis etiam illas regiones, quas hodie

hodie novum mundum appellant, occuparunt. Quod quæso sub sole existit peius Eridis pōnūm, quod majoribus diffidiis, rixis, pugnis, horribiliore sanguinis effusione defendere quisque conatur, quam tellus, victus, sedisque inhabitanda commoditas? Succi laudi sibi ducunt, quod regiones ipsis conterminas per aliquot centum milliaria steriles effectas devastarunt. In novis insulis, in insula Dominica finitimisque locis incolæ exeunt homines venaturi, quem admodum nos cervos aut lepores sectamur, & carne humana cœ ferina vescuntur. Hos imitantur quidam populi in Brasilia, præcipue Aymurij, ut vocantur. Mactantij & vivos devorant liberos; filia sive filij sint perinde illis est. Gravidas mulieres dissecant, foetum excindunt, super prunis assant, & in conspectu parentum deglutiant, id quod horrendum est auditu, nedum visu.

In Guinea adeo pauperes & egeni plerique vivunt, ut suos filios admodum vili pretio Mauris vendant in barbariam abducturis, aut Lusitanis vendunt in novas insulas abducendos, aut Castilianis in novas insulas ablegandos. Idem quoque accidit in Peru, cujus incolæ liberos suos fere nullo pretio vendunt proximo cuique obvio. Ad hanc *ἀσπογία* egestas cogit, quæ fere impossibilem reddit sobolis educationem. Tartari & Arabes ex solo rapto vivunt. Nasamoni & Casri, plane feri in Æthiopia, similiter ex rapto vivunt, naufragos depradantes, id quod sæpius experiti sunt Portugalenses.

Neque obscurum cuiquam puto, Gallos, Teutones, Gothos, Ungaros, Anaros, Tartaros aliosque populos, cum patria angustiior esset, quam ut omnes caperet & aleret, hæud semel in exteris regiones ejectis incolis migrasse. Hinc intra aliquot secula tot mutationes passim in Europa

atque Asia, quarum regiones atque urbes adventitia gens  
pulis primis colonis occupavit. Ratio in promptu est: aut e-  
nim nimiam incolarum multitudinem patria non ferebat:  
aut melioris vitæ alibi ducendæ desiderio illi tenebantur.

Unde quæso suborta prædationes & latrocinia, annon  
ex paupertatis miseria? Unde, tot contentiones & contro-  
versæ finium herciscundorum, annon ex ditionis incapaci-  
tate? Limites, fossæ, sepes, maceriæ, &c. quibus prædia cir-  
cundamus, custodes uvarum & frugum, fores ædium, seræ  
& pessuli, canes appositi, annon satis arguunt mundi angu-  
stiam, quæ tenuius necessaria suppeditat, minusque deside-  
ria explet? Quid commemorem cruenta arma, in quæ invi-  
cem procumbimus? Quid sæva & diuturna bella omnia pro-  
ruentia? Quid commeatus, munitiones, præsidia, expediti-  
ones? quid muros?

Neque hæc malorum lerna omnia continet. Accedunt  
enim præterea soli sterilitates, annonæ caritates, occultæ &  
pestifera cœli *εὐρυεῖου* & influentiæ, morbi contagiosi, pe-  
stis, terræmotus, inundationes maris aliarumque aquarum,  
& si qua sunt, ut certe sunt, innumera alia. Annon his o-  
mnibus & singulis satis efficax vis inest evertendi urbem,  
transferendi regna, nunc hos nunc illos incolas ejiciendi?  
Quæ cum ita sint, nemo est qui jam non videat causam, cur  
humani generis originalis amplificatio hodie subsidat.

### CAPUT III.

*Quibus adminiculis pars a dignitas & magni-  
tudo conservetur.*

POSTeaquam urbem nostram produximus ad dignitatem  
& amplitudinem quam habitus & natura situs prædicta-  
rum rationum ferre potest, omni cura enitendum est, quæ  
dignitas & magnitudo parata conservetur. Simul & semel

ut dicam: necessaria omnino hic requiruntur. *Justitia, Pax, & Abundantia.* *Justitia* suum cuique tribuit; *fortunasque nostras* in tuto locat, nec est personarum acceptrix; potentior *em* imbecillo, divitem inopi, gentilem inquilino, civem advena, patricium plebeio minime anteponebat, sed aequabile jus universis impertitur. Atque hoc vel solo *justitia* nomine, quippe quæ omnes sub se virtutes continet, optima quæque *respublicæ* commendantur. Hinc tanquam pro insigni *justitiæ* Romanis olim gladius ad deterrendos seditiosos & sceleratos publice propositus fuit. Ut enim secundum Festum; apud eos insigne imperii & armorum hasta fuit (Proconsules enim de civilibus provincialium causis cognoscentes, pro tribunali hastam erigebant) ita in facinorosos homines animadvertentibus illis gladius semper in conspectu erat, sicut eruditè admodum illud tradit Jacobus Rævardi, lib. 2. de divers. reg. juris, ubi ita scribit: *Sævit* invicem discordantium rabies, & inter togas, pace rupta, forum litibus mugit insanum: hasta illic & gladius & carnifex præsto est. Huc pertinet quod Dio de Traiano scribit. Nam eum præfectum prætorio, quem creaverat, circumdaturus esset ense, nudum eum illi porrexit. Cape hunc, dixit, & si quidem bene imperavero, pro me hoc utere: Sin male, adversus me. Hoc etiam attigit Plinius, ubi eum ita commendat, Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: adent statimque dimittuntur. Traiano quoque attribuit Aurelius Victor tres insignes virtutes: Sanctitatem domi: Fortitudinem in bellis & armis: Justitiam & prudentiam utrobique. Sic videmus gladium evaginatam, quod in solennitatibus imperatori & regibus præfertur, indicare justitiam; ut terror fontibus incutiatur & insontes sciant, se sub protectione summi magistratus ab injuria & vi tutos esse.

Hoc

Hoc quoque olim apud Massilienses usitatum fuisse, testatur Valerius Max. Cæterum, inquit, à condita urbe gladius est ibi, quo noxii jugulantur, rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio, sed iudex, in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta servanda. Moribus quoque nostris receptum est, quando equites, qui aurati vulgo vocantur, à Cæsare vel Regibus creari solent, ut gladius evaginatus illis tradatur, eorumque humeri leviter eo perstringantur, cum commonefactione, ut justitiam foveant, viduas, pupillos aliasque miserabiles personas à vi injuriæ defendant. Quid quod adhuc, ut fertur, in quadam imperii urbe extat gladius rubigine propemodum, non secus ac Massiliensis, exesus, quo olim coactus fuit is, qui postremo in senatum eorum assumptus fuerat, supplicium de fontibus sumere. Neque illi hoc ignominiosum sed potius honorificum, utpote factum ad tuendam justitiam, fuit. Huc referri potest, quod in quibusdam locis Franciæ orientalis longissima consuetudine receptum est, ut is, qui in pago aliquo, ubi furtum commissum est, nuperrime uxorem duxit, furi in flagranti crimine deprehenso, laqueum innedat; post omnes ejus loci viri, quando novus ille maritus signum eis peculiare dat, in primis autem Sculteti, quorum quandoque plures propter diversas jurisdictiones uno in loco jus dicunt, illi adjuutores, esse solent, ut fur de annosa & mutilata extantibus ramis quercu, ad hanc rem superioribus seculis delecta, suspendatur. Sic Maximilianum I. hujus nominis, Cæsarem, ferunt loca destinata ad supplicia fontium venerabundum, cum hac voce, *SALVE JUSTITIA*, præterire solitum. Legimus quoque in Genealogiis Comitum Flandriæ, Balduinum XII. Comitem, tam severum in puniendis criminibus fuisse, ut à securi, qua de fontibus tum

tempo.



temporis supplicium sumebatur, cognominatus sit, ideoque cum securi, veluti peculiari nota, ibi depingitur. Hic undecim equestri dignitate viris, eo quod tres mercatores spoliassent, eosque interfecissent, in palatium suum vocatis, & in tabulam collocatis, laqueos singulis injici jussit: post propriis manibus subtrahere tabulam illis gulam fregit.

De Alexandro Severo Imperatore Lampridius in ejus vita, (quem citat Erasmus in Chiliad.) ita scribit: Si unquam furem vidisset judicem, paratum habebat digitum, ut illi oculum erueret; tanto odio prosequatur judices, qui furtorum fama laborassent, ut si eos casu aliquo videret, commotione animi cholera stomacho evomeret, toto vultu inardescente. Sic de Bruto, Consule Romano, ita scribit Matthæus Bossus: Quanti (inquit) exitit incomparabilis illa & immortalis Bruti severitas, qui patriæ libertate tuenda filios de reducendis regibus cogitantes, interimere non dubitavit, exutus tenerum genitoris affectum, & infractum indutus Consulis animum. Quale illud tribunal aut quale spectaculum, Deus immortalis, ubi tam districtæ justitiæ ramque severæ ultionis laus cum natura ipsa & pietate pugnat? Videbas Brute filios servari tua indulgentia posse, sed contra gloriæ tuæ & perpetuò nomini pluris stare splendorem justitiæ libertatemque servatam. Te spectante licet sublata securi filiorum cervicibus imminere intendens iussuro te quid velles. Filii in te conversi, Parce, ô genitor, & serva nos tibi, precari non desinebant. Quid agis Brute, quo te vertis in tam gravi & ancipiti lucta? Si te liberis orbas, infelix. Si parcis, injustus. At tandem non quod paternum & jucundum, & molle, sed quod honestum & probabile videbatur deliberans, Percute, inquis,

*Pareat amor patriæ tandemque immensa cupido.*

Ceterum de iustitia extant passim tam apud sacros quam profanos scriptores commonefactiones gravissimæ: Sic enim extat Sap: 1. capite. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Iustitia enim perpetua & immortalis est. Injustitia autem mortis acquisitio. Et Ecclesiast. 4. In iustitia agonizare pro anima tua usque ad mortem: certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Bonique adeo principis, ut inquit Eusebius Sardus, hoc unum proprium lucrum & instar infinitorum aliorum est, omnia sic facere, ut & in ipso imperii tempore, & post id, iustitiæ ac bonorum omnium à subjectis testimonium habeat. Intelligatque (ut idem ait) vit princeps, quod qualis fuerit ipsarum rerum actionumque quas agit, natura, talem quoque ex ipsis memoriam & famam vel bonam vel malam consecuturus sit. His consideratis ita demum alterutram viam ingrediatur, vel eam quæ perducit ad infamiam, vel quæ ad memoriæ splendorem; & illam, quæ ei melior futura videbitur, anteponat. Ibidem: Principatum gerens ne reminiscaris inimicitiarum & dissensionum, si quæ prius tibi cum aliquibus intercesserunt: Non enim ad regnandum promotus es, ut te ipsum ulciscaris, verum ut imperio tuo subditos etiam ab aliorum insidijs securos atque tutos custodires: & ut custos esses recti & magnæ Dæ iustitiæ minister ac interpres. Itaque si quid, admiseris præter ejus sententiam aut deceperis ipsam, velut in Deam maximam delinquens, tum ab ipsa, tum à constitutis circa eam geniis custodibus & ultoribus pro factis vindictam expectato: Præterea si constitutus in magistratu inimicitia memor fueris, in deteriorem conditionem te ipsum das. & gravitate ac sanctitate, quæ requiritur in principe, te ipsum privabis apud conscios tibi, quod inimicitia indulgeas, & pro sanctissimis nominibus, & pro

iudice

judice, inquam, ac principe causam agentium hostis eorum turpissimo nomine appellandus sis. Quin deprehensa veritate agnitaque justitia nihil moreris, quod jus jubet, pronunciare atque exequi, idque impigre ac citra moram, nisi gravis obstet necessitas. Id, quod paucis admodum hodie quidem curæ est. Quo fit etiam, ut non solum plerisque in annos, sed integram ferme hominum ætatem lites protrahantur, fatigentque interdum etiam primam atque alteram sobolem, exhauriantur patrimonia, rabie veluti igni incenduntur hominum odia, manus excitentur ad eadem, pericliteturque salus ipsa cum rebus. Addamus, quibus interim curis, molestiis, anxietatibus vitam agunt, qui lites gerunt. Nihil sane miserabilius, nihil infelicius, nihil calamitosius istorum mentibus continue laceratis & diro mucrone confossis, hos nulla requies, nulla oblectatio iuvat, nullaq; vel amœnitas, vel illecebra movet plenos quidem suis malis & sævis cruciatibus laniatos, sed his torvus semper aspectus, caput minax, cervix demissa, ora pallentia, gemitus, plausus, stridor, furor, blasphemja atque desperatio tanquam ad perpetuam ærumnam infelicitè raptis. Quorum malorum cum iudex causa est, potestne quicquam cogitari scelerius atque immanius, cum is, qui debuit his omnibus mœderi malis atque periculis, is quidem sit, qui percutiat, cruentet & sauciet, improbos imitatus medicos, qui in sedandis languoribus, spe quadam amplioris quaestus differunt medicamenta, proditores, prædones, interdum etiam homicida. Qui enim, cum potest, oppressum non sublevar, & ab eo non propulsat iniuriam, viduarum, orphanorum, inopum, abiectorum humiliumque non miseretur, sed nimium ad offensiones & calamitates indurat, tam est in scelerè, quam qui opprimit & iniuriam infert, cum alter in int.

rendo malo, alter in non obstando vel amovendo aequè proximum laedar, quod profecto tam alienum esse debet ab eo, qui magistratu dignus habetur, ut mortem potius subeat, quam conscientiam tali impietate, tanquam inexpiabili crimine inquinari patiatur. Quinetiam, (ut inquit Sopater in Epist. ad Hemetenum fratrem.) quos prius non cognoscebas, & nihil ad te pertinere putabas amplius, quam quivis homo communem hominum naturam, illos iam princeps revereri debes, ceu jam notos & familiares, ac omnes tibi amicos esse videns, paterna benevolentia complecti. Fugienda autem omnis arrogantia & pertinacia tanquam humilis vilisque animæ affectus. Sui enim oblivisci propter phantasiam brevis imperii, magnam pusillanimitatem arguit. Neque vero ira in subditos utendum est, neque peccantibus institutum suum sine reprehensione relinquendum: nam iracundia principem ab insanis nihil differre signum est; hoc vero levitatem ad peccandum in subditis gignit. Præbeat autem seipsum simul & clementem & malis insensum: lente quidem puniendo, clementiam, malis autem indignado, improbitatis odium præ se ferens; ut hoc quidem fugienda esse mala: illud autem, non nimis implacabilem iis, qui peccaverunt, esse fortunam, documento sit. Imperandique ad eo modum singulorum moribus decenter accommodet: cum probis moderate, cum supinis vehementer, cum audacibus acerbe, cum cautioribus denique leniter agens. Oportet autem etiam a peccatis arcere per necessitatem sædelæ coniunctam: his vero, qui deliquerunt, moderatam justitiæ castigationem inferre, ita ut parva quidem & vulgaria peccata dissimulentur (nec enim conducit & qualibet & omnia simpliciter punire, neque cognoscentem negligere) quæ vero iam ingravescunt, iis cura secundum leges adhibeatur.

beatur. Quo respexisse videtur Philippus Macedo. Rogatus enim ab Harpalo, ut Craietam ejus familiarem judicio liberaret, Eum, inquit, rectius est, quam nos ob ipsum male audire. Hæc enim (ut Cicero in Lælio inquit) lex in amicitia sancitur, ut ab amicis honesta petamus, simul & rogati amicorum causa honesta faciamus. Neque enim est ulla excusatio peccati, si amici causa peccaveris. Oportet igitur capessentem Rempublicam, magistratum, judiciaque exercentem deponere amici personam & sanguinis, & induere iudicis, qui aliud nihil est, quam jus loquens & animatum, aut si quo moveatur affectu, propensior in misericordia atque benignitas in calamitosos esse debet, si boni & digni misericordia videantur, qui inopes virium & destituti præsidii illis sunt. Cui correspondet etiam id, quod Epictetus ait: Si iudicia recte proferre voles, nullum contendendum & causam dicentium, sed ipsam causam cognoscas. Etsi vero, ut inquit Plato in Epistola ad Dionysium, austeritas amicorum solitudinem parit; tamen eodem teste, in Politicis, principum mores acrimonia quadam & acri efficacique pertinacia indigent, proinde valde cautos esse jubet. Austeritatem itaque hic intelligit Plato quatenus in tyrannidem vergit. In quam etiam passim invehuntur auctores, inter quos Seneca in Thyeste ita canit:

*Vos, quibus rector maris atque terra*

*Ius dedit magnum necis atque vitæ,*

*Ponite inflatos tumidosque vultus:*

*Quicquid à vobis minor extimescit,*

*Maior hoc vobis dominus intonat.*

*Omne sub regno graviore regnum est.*

*Quem dies vidit veniens superbum,*

*Hunc dies vidit fugiens vacentem.*

*Nemo confidat nimium secundis,  
 Nemo desperet meliora lapsis,  
 Miscet hac illis, prohibetque Clotho  
 Stare fortunam, Rotat omne fatum.  
 Nema tam divos habuit faventes,  
 Crastinum ut possit sibi polliceri.  
 Res Deus nostras celeri citatas  
 Turbine versat.*

Et quod idem Seneca in Octavia scribit, Amari magis regem decere quam metui, innuens:

*N. Ferrum ruetur principem.*

*S. Melius fides:*

*N. Decet timeri Casarem.*

*S. At plus diligi,*

*N. Metuam necesse est.*

*S. Quicquid exprimitur grave est.*

*N. Iustusque nostris pareant.*

*S. Iusta impera.*

*Consulere patria, parcere afflictis, fera*

*Cade abstinere, tempus atque ira dare,*

*Orbi quietem, seculo pacem suo.*

*Hac summa virtus; petitur hac cælum via.*

*Sic ille patria primus Augustus parens*

*Complexus astra est, colitur & templis Deus.*

Non possum non his addere, quæ idem Seneca in Thyeste valde eleganter scripsit, ubi egregie docet, quid regem faciat, sic canens:

*Regem non faciunt opes,*

*Non vestis Tyria color,*

*Non frontis nota regia,*

*Non auro nitida iuvenes.*

Rex est, qui posuit metum,  
 Et diri mala pectoris;  
 Quem non ambitio impotens,  
 Et nunquam stabilis favor  
 Vulgi precipitis movet.  
 Qui tuto positus loco,  
 Infra se videt omnia,  
 Occurritque suo libens  
 Fato, nec queritur mori.  
 Mens regnum bona possidet.  
 Rex est, qui metuit nihil,  
 Rex est, qui que cupit nihil.  
 Hoc regnum sibi quisque dat:  
 Stet quicumque volet, potens  
 Autba culmine lubrico:  
 Me dulcis saturet quies,  
 Obscuro positus loco.  
 Levi perfruar otio:  
 Nullis nota Quiritibus  
 Aetas per tacitum fluat:  
 Sic cum transferint mei  
 Nullo cum strepitu dies,  
 Plebeus moriar senex.

PAX, alterum illud, quod diximus amplificanda ac  
 tuenda civitatis medium, ut firmiter constet, omnino pro-  
 videndū est, hac enim vacillante aut rupta, omnia in peius  
 ruere necesse est; stante vero, omnia quoque firmiter cōsistunt  
 ac durant. Eleganter admodum de pace Mantuanus canit:

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,  
 Pax belli exacti pretium est, pretiumque periculi:  
 Sydera pace vigent, consistunt terrea pace:  
 Nil placitum est sine pace Deo, nec munus ad aram.

Atten-

Attendendum tamen diligenter est, ne amica illa pacis fruitio ad temerarios multitudinis ausus, quicumque illi tandem sint, tacitam quasi ansam præbeat, qua in re illi, quibus id ratione officii competit, caute prospiciant. Est enim populus, ut Plato inquit, ingratus, morosus, crudelis, invidus, immodestus, ut qui est ex colluvie turbæ & stultis insolentibus collectus. Quo etiam respexisse videtur Joannes XXIII. Pontifex Rom. Interrogatus enim aliquando, quid foret à veritate remotius, respondit: Vulgi sententia. Quicquid enim laudat, inquit, vituperio dignum est, quicquid cogitat, vanum, quicquid loquitur falsum, quod improbat, bonum est; quod approbat, malum, & quicquid extollit, infame. Et sicubi sibi ipsi relictum nullis legum repagulis coerceatur. nullum tunc (ut recte Q. Curtius de rebus gestis Alexandri Magni libro 10. scribit) profundum mare, nullum vastum fretum & procellosum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique si nova & brevi duratura libertate luxuriat. Hæc enim, teste Livio, natura multitudinis est: Aut servit humiliter, aut superbe dominatur. Libertatem, quæ media est, neque spernere modice, nec habere sciunt, & non ferme desunt irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem & cædes irritant. Atque hinc etiam non abs re vulgato versu dicitur:

*Rustica gens est optima flens, sed pessima gaudens.*

Atque alio quoque, cujus idem omnino est sensus:

*Vagantem pungit, pungentem rusticus ungit.*

Hæc ita esse certissimum est. Quod si vero cui id dubium est, suo is sane periculo experiatur, per me licet, & facile ipsi, ut opinor, dubitationem illam excusient, &c. Quod si præterea superstitio aliqua mentes multitudinis seditiosa occupat:

tunc



runc demum ea bellua multorum capitum, multo atrocius furit, neque modum tenere potest, exitumve ullum reperit, ubi aut favere semel aut servire instituit, hocque prætextu sibi quidvis licere putat. Quo etiam Q. Curtius respexisse videtur libro 4. de rebus Alexandri Magni, ubi dicit: Nulla res multitudinem efficacius regit, quam superstitio: alioquin impotens, sæva, mutabilis; ubi vana religione capta est, melius vatibus quam ducibus paret. Siquidem simulata religio instar torrentium est, qui nullis obicibus retardari queunt, quo minus campos inundent, & aliquandiu noceant. De quibus Lactantius egregie admodum: (adeoque ijs, qui suam religionem vi defendendam ducunt) Quid ergo, inquit, sæviunt? ut stultitiam suam dum minuere volunt, augeant? Longe diversa sunt carnificina & pietas: nec potest aut veritas cum vi, aut iustitia cum crudelitate conjungi. Sed defendenda sunt, inquiunt, suscepta publica sacra? O quam honesta voluntate miseri errant! Sentiunt enim nihil esse in rebus humanis religione præstantius. Sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Siquidem defendenda religio est, non occidendo, sed moriendo: non sævitia, sed patientia: non scelere, sed fide; illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur. Nihil enim est tam voluntarium, quam religio, in qua si animus sacrificantis adversus est, jam sublata, jam nulla est. Illud tamen probe tenendum est, quod & Claudianus monet, illum furorem efferae multitudinis, licet interdum terribilem, attamen non diu durare. Nam carete eventu nimius furor. Improbam nunquam spes lætata diu. Temereque illi faciunt, qui po-

pulo innixi & magnas res suscipiunt agendas, & susceptas sibi successuras sperant. Etenim quemadmodum crescente umbra vel decrescētē, corpus tamen ipsum, cujus illa est umbra, neque crescit neque decrescit: ita nec melior fit quisquam, dum à vulgo laudatur, nec item peior, dum vituperatur. Partum namque præsidii, inquit Cominans, positum est in promiscua multitudine, nisi contineatur aliqua necessitate & imperio: tamen si tempus incidat, cum populi furor & repentinus impetus valde sit pertimescendus.

ABUNDANTIA demum alimentorum, ut tertium ampliandarum civitatum earundemque conservandarum principale medium, facilem reddit victum. Quid enim antiquius, quid acceptius multitudini, quam si vili cibus potusque paretur? Ob id etiam in urbibus ac oppidis rerum omnium affluente copia optimatibus cum multitudine adeoque obscuris hominibus nullum est certamen aut discordia, in tanta vitæ dissimilitudine, & tam dispari studiorum ratione atque voluntate. Illi enim imperium & gloriæ expetunt; hi dum vitæ commodis abundant, non ita magnum fructum in decore & dignitate ponendum arbitrantur. Atque hæc pro præsentis dicta sufficiant. Cætera, ut supremam tandem operi addam manum, omnia quæ pro amplificanda urbe adducta sunt, pro conservanda quoque usurpari possunt. Eadem enim rerum (quæcunque tandem illæ sint) ortus & progressus fere sunt principia.

FINIS LIBRI TERTII  
ET ULTIMI.

HIPPO.

HIPPOLYTI A COLLIBUS

INCREMENTA  
VRBIVM

SIVE

DE

CAVSSIS MAGNITVDI-  
NIS VRBIUM

*LIBER VNVS.*

EDITIO NOVA.

CURA

L. G. L. H.

INDEX. CAPITUM.

<b>D</b> <i>urbium origine &amp; fine.</i>	CAP. I.
<i>De urbium situ ex aëris salubritate.</i>	II.
<i>De ubertate soli.</i>	III.
<i>De urbium amœnitate.</i>	IV.
<i>De urbibus, quas flumen, lacus, vel mare adluit.</i>	V.
<i>De urbibus bene munitis.</i>	VI.
<i>De urbium commoditate, elegantia &amp; magnificentia.</i>	VII.
<i>De urbibus ad vias regias vel in Imperij finibus sitis.</i>	VIII.
<i>De thermarum salubritate &amp; opportunitate.</i>	IX.
<i>De vicinitate metalli fodinarum &amp; mineralium.</i>	X.
<i>De urbibus, qua Academiis, Collegiis vel Biblioth. florent.</i>	XI.
<i>De urbibus, qua magnorum Principum aulâ vel sum- mis dicasteriis clarent.</i>	XII.
<i>De urbibus, quas nobilium multitudo incolit.</i>	XIII.
<i>De urbibus, qua negotiationis &amp; mercimoniis clara sunt.</i>	XIV.
<i>De urbibus, in quib<sup>us</sup> opificiâ omnis generis magna est copia.</i>	XV.
<i>De urbibus, qua ius civitatis facile peregrinis &amp; ad- venis tribuunt, civibusque privilegia varia largiuntur &amp; conservant.</i>	XVI.
<i>De urbibus, qua matrimonii favent.</i>	XVII.
<i>De urbibus, in quibus Asylâ.</i>	XVIII.
<i>De crebris spectaculis, missilibus, publicis convivii, aliisque ludis.</i>	XIX.
<i>De urbibus, qua arario student.</i>	XX.
<i>De urbibus, qua annonæ curam prudenter gerunt.</i>	XXI.
<i>De ijs, qua diversa oppida in unum contrahunt, vel vicinas urbes diruunt.</i>	XXII.
<i>De urbium legibus &amp; politia.</i>	XXIII.
<i>De urbibus nonnullis, qua ad summam magnitudinem pervenerunt.</i>	XXIV.



CAPUT I.

*De urbium origine & fine.*

**H**omo societatis est appetens & utilitatis; inde fit, ut suapte natura se ad cœtus conferat, à quibus parata sibi videt adjuvamenta vitæ jucundius, commodius, tutiusque degendæ. Quis tantæ unquam industriæ, tantæque solertiæ repertus, qui necessaria solus sibi ipse subministrare & se ab aliorum injuria tueri potuerit? Conveniendum hominibus profectò, ut dando, accipiendò, commutandò, communicandò alter alteri, quod satis est, suppeditaret, fuit. Hinc primò factum, ut plures familiæ unum in locum convenerint, unaque certis legibus habitare cœperint: hinc vici, hinc pagi, hinc oppida. Ex domorum enim conjunctione vici, ex vicorum continuatione pagi, quibus, cum imbecilliores à valentioribus se tueri nequirent, loca natura munita & tecta conquirere aut arte munire necesse fuit, fossa videlicet, vallo, manibus & turribus; unde oppida & urbes. *Ita natura rerum tulit, (ait CICERO) ut quodam tempore ho-* *in orat.*  
*mines nondum neque naturali neque civili iure descripto fusi pro P.*  
*per agros ac dispersi vagarentur, tantumque haberent, quan-* *Sextio.*  
*tum manu ac viribus per eadè m ac vulnèra aut eripere aut re-*  
*tinere potuissent. Qui igitur primi virtute & consilio prastan-*  
*ti exstiterunt, à perspectò genere humana docilitatis atque in-*  
*genio dissipatos unum in locum congregarunt, eosq; ex feritate*  
*illa ad iustitiam atque mansuetudinem traduxerunt. Tum res*  
*communi utilitatem continentes, quas publicas appellamus,*  
*tum conventicula hominum, qua postea civitates nominatæ*  
*sunt*

sunt, tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus, invento  
 Sermonu & divino & humana iure mœnibus sepeferunt. HORATIUS :

lib. 1. Sa-  
 tyr. 111.  
 v. 100.

Cum proreperunt primis animalia terris  
 Mutum & turpe pecus, glandem atque cubilia propter  
 Unguibus & pugnis, dein fustibus, atque ita porro  
 Pugnabant armis, quæ post fabricaverat usus :  
 Donec verba, quibus voces sensusque notarent,  
 Nominaque invenere, dehinc absistere bello  
 Oppida cæperunt munire & ponere leges.

Et in Arte poetica vers. 391.

Sylvestres homines sacer interpretisque Deorum  
 Cadibus & victu fœda deterruit Orpheus.

Origin. Oppidum, ait ISIDORUS, quidam ab oppositione murorum di-  
 xv. 2. xerunt : alij ab opibus recondendis, eo quod sit munitum : alij  
 quod sit in eo conventus habitantium & opem det mutuum con-  
 Comm. trahentes. JULIUS CÆSAR : Oppidum Britanni vocant, cum syl-  
 de bell. vas impeditas vallo atque fossa muniunt, quo incurSIONES ho-  
 Gall. v. stium vitandi causa convenire consueverunt. Porro quamvis  
 hæ voces ; Oppidum, Urbs, Civitas ; plerumque confundan-  
 tur, diversam tamen significationem habuisse certum est.  
 Oppida non erant aratro cincta urbibusque minora ; quæ  
 cingebantur in nomen urbium transibant. Urbs ab urbo vel  
 in origi- urvo aratri linea nomen invenit. CATO author  
 nibus. est, eos, qui urbes olim condere volebant, taurum in  
 dextra, vaccam intrinsecus, jungere solitos, & ritu Sabino  
 cinctos, id est, togæ parte caput velatos, parte succinctos sti-  
 vam incurvam ita tenuisse, ut glebæ omnes intrinsecus ca-  
 derent, atque sic urbo seu sulco ducto loca murorum desi-  
 gnasse. VIRGILIUS

AEneid.

v.

Interea AEneas urbem designat aratro,  
 Sortiturque domos : hoc Ilium & hac loca Troia

Esse

*Esse iubet ; gaudet regno Troianus Aestes*

*Indicitque forum & patribus dat iura vocatis.*

*Inter civitatem & urbem, ait NONIUS MARCELLUS, hoc in cap. v. terest; Vrbs est ædificia: Civitas incole; nec incolas tantum §. 270.*

sed etiam leges: Enimvero fieri potest, ut urbs, mœnibus & ædificiis; imo etiam hominum multitudine abundet, rerumque ad victum necessariorum copia, nec tamen civitas sit, nisi legibus ac magistratuum imperiis cives contineantur.

Illi enim sunt *vinculum* ait SENECA, *per quod Respublica coheret: illi spiritus vitalis, quem hac tot millia trahunt: nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperii subtrahatur.* *de cle-*

Urbem igitur recte CICERO definit, *rectoriam de Reput. I. 4. coniunctionem locis manaque septam, delubris & spatii communibus distinctam, in qua hominum cætus sit iuris consensu & utilitatis communione sociatus.* Quibus posterioribus &

Civitas definitur, quæ est collecta hominum liberorum iure viventium multitudo. Roma urbs & eam civitas incolit. Atque hæc quidem de causis magnitudinis dicturo præmittenda fuere: quibus hoc addo, civitatem hodie vel potentiorum vi constitui, vel eorum, qui se libertatemque suam sub alterius imperium ac arbitrium sponte subjecerunt. Jam ut ordine de re proposita differam, primo ea perstringam, quæ ad urbem inanimatam, ut ita dicam, spectant, situm scilicet, mœnia, ædificia & similia; deinde ea persequar, quæ ad urbem animatam vel civitatem, hoc est, ad cives, incolas, negotia quæ tractant & munia eorum respiciunt.

## CAPUT II.

*De Urbium situ ex aëris salubritate:*

**A**D beatam civium vitam non sufficit populam bene institutum habere, nisi opportunitas urbis ea suppeditet, quæ ad usum vitæ tranquilla sufficiant. In condendis urbibus

bus prima ea cura esse debet, ut locus saluberrimus eligatur; altera ut fertilissimus; tertia, ut commodissimus & ad negotiationes & ad res bellicas. Consistit ergo opportunitas situs primo in aeris salubritate; nam cum is à nobis separari non possit, perpetuoque velut connatus cohæreat, ambiatque & lædat vel quod calidos immodice, vel quod frigidus aut siccos aut humidus nos efficiat, ejus prima quoque cura merito nobis gerenda. Ideo Pallas sapientiæ Dea musæum Graciæ conditura locum in Attica saluberrimum & aëris temperie optima prædium elegit. Spartani de colonia deducenda solliciti consulto oraculo responsum tulerunt: *contra cæcos edificarent*. Crotonienses loco saluberrimo civitatem condere à Diis jussi. Locus autem salubris cognoscitur, si excelsus & non nebulosus, non pruinosus, regionesque cœli spectet neque æstuosas neque frigidas. Cum enim, ait VITRUVIUS, *aura matutina cum sole oriente ad oppidum pervenient & iis orta nebula adiungentur, spiritusque bestiarum palustrium veneratos cum nebula mixtos in habitatorum corpora flatus spargent, efficiant locum pestilentem*. Item si secundum mare erunt mænia, spectabuntque ad meridiem aut ad occidentem non erunt salubria: quia per æstatem cœlum meridianum sole exoriente calefcit, meridie ardet. Apulia æstivo calore maxime fervet, ita, ut ante finem Maji pene exusta sit. Siccitati aliud malum additur, innumerabilium muscarum infestatio, ex quo Italorum proverbium:

*Chi vuol pruovar l' inferno*

*La state in Puglia, in Abruzzo il verno*

Loca quæ occidentem spectant, sole exorto tepescunt, meridie calent, vespere fervent; hinc caloris & refrigerationis mutatione subita corpora, quæ in ijs degunt locis, vitiari necesse est. *Urbes* autem, ait Philosophus, *qua in solem orientem*



tem inclinant & ventis ab ortu flantibus exposita sunt, salubriores habentur. Proxima ab his quæ in aquilonem vergunt; hænamque magis commodis auris refrigerantur. Siquidem Septentrionalis plaga non recipit mutationes noxias, & quia firmitior est, corpora diutius fervat. Quod quidem ex esculentis, quæ reconduntur, satis apparet, quæ dum modicis fenestellis ad septentrionem refrigerantur, tardius marcescunt; quæ verò ad calidas cœli partes ponuntur, facile & cito corrumpuntur. Locris & Crotone pestilentiam nunquam fuisse annotatum est, unde proverbium: *Crotone salubrius. Sergianum* Hetruriæ oppidum crevit, teste JOYIO, ex ipsis Luna antiquæ urbis ruinis, quum incolæ pestilentis eius littoris aura, quæ maxime ad Macra ostium vergit vehementer offensi adificia in editiorem locum subduxissent. Stratonicus Musicus Seriphi agens hospitem suum percontatus est, ob quam causam illic homines solû vertere juberentur: quumque ijs respondisset; Flagitiosos tantum apud Seriphios exilio mulctari: quin tu quoque, subjunxit, flagitii aliquid committis, ut ex his locorum angustiis aërisque intemperie emigres.

Histor.

1. p. 67.

## CAPUT III.

## De ubertate soli.

PORCIUS CATO, referente COLUMELLA, censebat in emendo inspiciendæque agro præcipue duo esse consideranda: salubritatem cœli & ubertatem loci; quorum si alterum deesset, ac nihilo minus quis vellent incolere, cum mente esse captum atque ad agnatos & gentiles deducendum. Neminem enim sanum debere facere sumtus in cultura sterilis soli, nec rursus pestilenti quamvis feracissimo pinguique agro dominum ad fructus pervenire. Nam ubi sit cum Orco ratio ponenda, ibi non modo perceptionem fructuum, sed & vitam colonorum esse dubiam, vel potius mortem questu certivem.

De re

rust. 1. 3.

De acris temperie egimus capite præcedenti : nunc ad-  
dimus, ad magnitudinem urbis non parum facere agri vici-  
ni bonitatem, quæ civibus alimoniam abunde suppeditet.  
Cum Diogeni quidam exprobraret : te Sinopenses Ponto ex-  
ulem esse iusserunt ; at ego, inquit, illos hac damno pæna, ut  
in Ponto extremisque Euxini litoribus inclusi perpetuo ma-  
lib. VI. neant. Græca LAERTII ita sonant : Εἰπὸν τῶν τινός, Σινοπείς  
in vita σε Φυλῶ καλεῖν ἔρωσαν. Ἐγὼ δὲ γε, εἶπεν, ἐκείνων μόνῳ. Eos  
Diogen. potius exulare innuens, qui infelici regioni tanquam adscri-  
De re ptierant. M. CATO novem conditionibus bonum agrum de-  
rustica. scribit : quæ si non conjunctim omnes reperiantur, ( nam  
cap. 1. difficile id admodum est ) is optimus erit, qui plura ex ijs ha-  
bebit. Primam agri qualitatem esse illis vult, ubi vineæ esse  
possint bono & multo vino ; secundam, ubi hortus irriguus :  
tertiam ubi salictum : quartam, ubi olivetum : quintam, u-  
bi pratium : sextam, ubi campus frumentarius : septimam, u-  
bi sylvacædua : octavam, ubi arbutum : nonam, ubi sylva  
glandaria.

Qui fit, quod pleræque Italiæ & Galliæ urbes tot inco-  
lis exundent ? quia ubique vitalis & perennis salubritas con-  
spicitur, eximia cœli temperies, campi fertiles, aprici colles,  
innoxii saltus, opaca nemora, nobilia pecorum vellera, opti-  
ma taurorum colla, perspicui & piscosi lacus, flumina font-  
tesque saluberrimi. Agrum consideremus Neapolitanum,  
cujus tanta ubertas, ut merito *Liberi Cererisque certamen* à  
Rerum FLORO vocetur. Arva ipsa arbutis ijsque frequentissimis  
Roman. consita sunt : arbores pleræque patentissimis ramis diffusæ  
l. 16. & in vastam proceritatem consurgentes, vitibus amictæ, quæ  
geniculato procurfu ad cacumina scandentes atq; inde præ-  
cipitatae ad solum usque pervenientes ea sunt feracitate, ut  
una arbor ( incredibile dictu ) eam vini ferat vim, quæ quin-  
que

que clitellariorum mulorum onus sit; at quæ vina? generosissima & quæ veteribus etiam in pretio, Massica, Cæcuba, Falerna. Idem solum frumenti ita ferax, ut à nullo, quod ea laude excellat, vincatur, quodque multis in locis, si bien-nium quieverit, quatuor continuos annos restibile fiat. Quid de agro Mediolanensi dicemus, qui cunctis rebus tam necessitati mortalium, quàm deliciis & voluptati opportunis abundat? Similia de Galliæ & Germaniæ Superioris & Inferioris urbibus multis dici possent, quæ solum vicinum habent frumenti & omnis generis fructuum feracissimum. Sane mira sunt nec sine rubore referenda, quæ de feracitate Hispaniæ ab Hispanis traduntur, raphanos, lactucas, brassicas quindecim dierum spatio à satu maturescere: pepones & cucurbitas sex & triginta dierum, vitem intrâ annum frugiferam fieri, triticum (ne non omnia experirentur) principio Februarii humi conditum ad Idus Martias maturuisse.

Objicere hoc in loco quis posset, Athenas olim, hodie Noricum in Germania, Limogea in Gallia, aliasq; nonnullas urbes, quæ ampliissimæ cum sint, agros nihilominus steriles habere. Sed non difficilis est responsio; nam urbes illæ aliis excellenti opportunitatibus & à bonis agris haud procul absunt: adde quod pauperiores ob agri sterilitatem se majore conatu ad opificia dedere cogantur, qua de re suo loco, Deo favente.

Soli ubertati subjungo copiam lignorum, lapidum & arenæ; quæ enim urbes harum rerum inopia laborant, difficulter ad magnitudinem aliquam perveniunt. Si domos ædificare volumus, tignis opus est; si coquere, non magis igne quam lignis carere possumus. *In conclusionibus ait VITRUS. De ar-*  
*vius, id est, obsidionibus, reliqui omnes faciliores sunt appa-*  
*ratus, quam lignorum. Salenim facile ante importatur: fru-*  
*chit. v.* 94

*intra publice privatimque expeditius congeruntur, & si desint holeribus, carne seu leguminibus defenantur. Aqua fossuris puteorum & de cœlo repentinis tempestatibus ex tegulis excipiuntur. De lignatione, quæ maxime necessaria est ad cibum excoquendum, difficilis & molesta est apparitio, quod & tarde comportatur & plus consumitur. Si igitur urbi vicinæ fuerint sylvæ & lapicidinæ, arenæque vel marinæ vel fluviatiles vel fossitiæ, civibus id ædificandi animum addet. Calx marmore, aut saxo albo vel vivo silice optimè coquetur. Harum rerum neglectus, quæ prima fronte non magni videntur momenti, sæpe urbibus nocuit.*

## CAPUT IV.

*De urbium amœnitate.*

*S*cribunt Tricala Siciliae urbem inde nominatum, quod tria  
 libr. 36. *in se uadit id est pulchra contineret, docente Diodoro Si-*  
 ecl. 56. *culo. Primum enim aquis fontanis eximia dulcedinis abundat. Deinde agros habebat adiacentes vinetorum & olivetorum plantationi frugumque cultura mirifice idoneos. Tertio locus tam firmus erat, ut nihil supra, ut pote magna rupe atque inexpugnabili à natura instructus. Urbs Granata odoratis citrorum viridariis & fontium perennium scaturigine, vermiculatisque passim pavementis admirabilis existimatur: duæ ex aduerso exsurgunt Regiæ oppositis collibus, ita ut imagine quadam navis hæc proram, illa puppim, obtinere videntur; media vallis domorum frequentia celebris urbem determinat majore amœnitate quam munitionis studio. Quid de amœnitate urbis Neapolis dicemus, ubi ver perpetuum, neque floribus tantum vernant illa littora, sed nulla pars anni florum & fructuum expers? Nunquam regio illa aut frigore riget, aut nivibus horret, aut gelu torpet. Cumque ea cæterarum regionum natura sit, ut quod solum pingue*

gue ac ferax sit, necessariisque fructibus abundet, id minime amœnum esse soleat: contra quod amœnum est, ab ubertate destituatur, cujusmodi circum Spadanos campos & Egufticam oram cernimus; quorum illi frumènti ac lactis necessariorumque rerum feracissimi amœnitate Ligusticorum littorum carent, ex aduerso frumentis destituuntur: maritimæ Liguriæ omnibus amœnitatibus referta ora; jam tanta est agri Campani gloria, ut fœcunditas cum amœnitate certet, & regiones, quæ alterutra tantum laude præstant, utraq; superet.

Non dissimilia de multis aliis urbibus dici possent. Quam amœni sunt juxta Bruxellas horti nitidissime culti, in quibus varia hortensium fructuum genera pro diverso anni tempore proveniunt. Mirum dictu, quam agri & saltus vicini vario avium ferarumque genere abundant! Quid amœnius (ut alia præteream loca) prospectu urbis Basileæ? Nam cum ille omnis dupliciter commendetur, vel ex ipsa ad spectus sui ratione iustaque dimensione, vel ex rerum, quæ ad spectum subsiciuntur, specie ac varietate: Basileenses utroque gaudent. Amœni enim illi colles & campi, quos urbs adspicit, neque tam propinqui sunt, ut radios oculorum nimis cohibeant ac veluti carcere constringant, neque tam longe distanti, ut prospectus nullis locorum terminis circumscriptus per immensam vastitatem excurrat nulloque consistens loco hebetetur; sed oculis sat laxamenti præbent, eosque obiectu suo terminant, ne latius circumjectorum acies evanescat. Si visum demittas, Rhenum adspicies mediam urbem secantem & in eo pontem hominibus repletum, ut lucum Petri num & cætera omittam.

## CAPUT V.

*De urbibus, quas flumen, lacus vel mare adluit.*

Quantū maritimis subvectionibus aliisque navigationibus  
 Aa 3: urbes

urbes ditescant & augeantur, incredibile dictu. Si igitur commoditate aquæ navigeræ fruuntur, fieri vix potest, quin ad magnitudinem brevi perveniant. Sic Veneros, Genuenses, Massilienses, Anglos, Belgas & Gallos videmus navibus suis etiam remotissima quæque orbis terrarum loca scrutari, & aromata, uniones, sericum aliaque domum referre. Constantinopolitanæ urbis situm commodissimum esse oportet, cum in Isthmo sita tribus partibus portuoso mari adluatur, Propontidi & Ægæo mari imperet, Euxino pariter, uno illud ostio claudens, Bosphoro scilicet, quem in vitis Constantinopolitanis transire nemo potest: Asiæ & Europæ veluti pons est & porta utriusque orbis expeditior, quam Hellespontus, ut merito *Europa totius arx* vocari possit atque quendam principatum præ se ferre non obscure videatur. Sic Alexandriam duo maria undique adluunt: alterum à Septentrione, quod Ægyptium dicitur, alterum à Meridie, quod Marcotis adpellatur; hanc Nilus multis fossis, tam è superioribus partibus, quam è lateribus adauget, per quas multo plura importantur quam mari, unde fit, ut portus, qui in lacu est, ditior sit maritimo. Tarentum urbs præclara in insulam traducta mari cingitur, ut Venetiæ. Juxta Lugdunum atrox & fervens Rhodanus per fines Heduorum fluentem Ararim cum quadam aquarum modestia excipit ac tranquillum & cursus suos dissimulantem humeris portat in Massi-

*In Eu-* licas pelagus terras proluens fertilissimas; unde CLAUDI-

*trop. li-* ANUS:

*br. II.*

*Quam Rhodanus stimulat Arar: quos inter aprica  
Planities, Cererique favet, densis que ligatur  
Vitis, & glaucos fructus attollit oliva,  
Dives equis, felix pecorum, pretiosa que picto  
Marmore, purpureis cui cedit Synnada venis.*

In

In confesso est hisce fluminibus fecundari agrum & populum importata annona lætari & quia in mare Ligusticum decurrunt, importandis & exportandis mercibus accommodatissima esse. Turrianus quidam Mediolanensium Prætor ad confirmanda populi studia, omnes operas ad Ticinum conduxit, ut non procul ab Abiatio oppido emissarium navigabile derivata parte amnis ad urbem perduceret ad facilimas subvectiones importandorum ex agris fructuum, qua incomparabili commoditate populus in quotidianos usus perpetuo frueretur. *Non sine causa* (ait Camillus in oratione, quam recitat Livius, de Roma non deserenda) *Dij hominesque hunc urbi condenda locum elegerunt: saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges debebantur, quo maritimi commeatu accipiuntur; mare vicinum ad commoditates, nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionum Italiae medium, ad incrementum urbis natam unice locum.*

*Histor.*  
v. 54.

Sed quid in re tam clara exemplis opus? Si quis quantum navigera flumina urbes juvent scire vult, is eas perpendat urbes, quæ in Italia ad Arnun, Athesin, Padum; in Gallia ad Ligarim & Sequaniam; in Germania ad Rhenum, Albiim & Danubium positæ sunt. *Perfluunt* Adiabenam (ait AMMIANUS MARCELLINUS) *potiores ante alios amnes hi, quos prædiximus, (Diabam & Adiabam intelligit); & Maarsares flumen regium, & Euphrates cunctis excellens: qui tripartitus navigabilis per omnes est rivos in insulasque circumfluentis & arva cultorum industria diligentius rigans vomeri & gignendis arboribus habilia facit.*

*Rer. gest.*  
l. XXIII.  
p. 252.

Inter flumina vero ea habentur præstantiora & utiliora, in quibus navigia ultro citroque discurrere possunt, torrentia periculosa & minus idonea sunt. Porro quia de flumi-

fluminibus in hoc capite mentio facta addendum est, inter urbis maxime necessaria esse aquam salubrem; hoc enim clemento nulla ratione carere possumus, quâ in re veteres diligentissimi fuerunt, qui non modo oppida urbesque condituri, sed & castra electuri in puram inquirebant aquam.

De re  
milit.  
IV. 10.

*Magna urbis utilitas est, inquit VEGETIUS, cum perennes fontes murus includit. Quod si natura non præstat, cuiuslibet altitudinis effodiendi sunt putei, aquarumque haustus funibus extrahendi.* Aqua ea optima, quæ motu velocissima, ad specu limpidissima, pondere levissima, concoctu facillima est & ab ortu Solis in occasum concitatur. Si aquam contingat alicubi insalubrem esse, confestim ex habitatorum facie cernitur. Quod si aquæ potores validis corporibus, nitido colore & oculis acribus sint, de aqua non dubitandum; seculus, si contra. Aquis gelidis & salubribus Basilea abundat in ipsa urbe scaturientibus & aliunde adductis.

## CAPUT VI.

*De urbibus bene munitis.*

**Q**uia urbium ædificatio duplicem habere causam videtur, utilitatem commode vivendi in societate eamque augendi & securitatem civium, ad magnitudinem urbium non parum faciet, si adversus quoslibet belli impetus munitæ fuerint mœnibus, vallô, fossa. *Maiores vestri* (Romani) ait Paulus Cos. Rom. in oratione ad milites, quæ existat apud LIVIUM, *castra munita portum ad omnes casus exercitus ducebant esse, unde ad pugnam exirent, quo iactati tempestate pugna receptum haberent: ideo cum munimentis ea sepissent, presidio quoque valido firmabant, quod qui castris exiit erat, citius si pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra munita sunt victori receptaculum, victo perfugium. Quod hic de castris bene munitis differit Consul, optime dici quoque*

Histor.  
XLIV.  
39.



que potest de urbibus bene munitis. Arces & muri inun-  
 paucorum opera magnam hostium manum arcere possunt  
 pugnantibus vel solis elementis adversus obsidentes, ut fri-  
 gore, pluviis, æstu, aut com meatus penuria intereant; hæc  
 enim sæpe ingentes copias cogunt in vitas obsidionem solve-  
 re. Salvi autem sunt cives eo confugientes, qui alioquin in  
 urbibus male munitis omnibus hostium injuriis expositi ma-  
 nerent. Exempla magnarum & potentissimarum urbium  
 hic adducere possem, quæ firmissimo murorum ambitu, pro-  
 pugnaculis, multisque ad hostium furorem arcendum peri-  
 doneis turribus formidabiles sunt, sed ijs in re tam aperta o-  
 pus non est. *Fossa ante urbes, ut testatur VEGETIUS, latissi- De re  
 ma altissimaque id est profundæ, faciendæ sunt, ut nec facile milit.  
 possint coaquari, replerique ab obsidentibus & cum aqua cape- IV. 5.  
 rint inundari ab adversario cuniculum continuari minime pa-  
 tiantur. Nam duplici modo opus subterraneum peragi prohibe-  
 tur, earum altitudine & inundatione.*

Quod ad murum attinet, audiamus VITRUVIUM: Col- De ar-  
 locanda, inquit, oppida sunt, non quadrata, nec procurrenti- chitect.  
 bus angulis, sed circuitionibus, ut hostis ex pluribus locis cen- I. 5.  
 spiciatur. In quibus enim anguli procurrun, difficulter defen-  
 duntur, quod angulus magis hostem tuetur, quam civem. Et  
 VEGETIUS ait: *Ambitum muri directum veteres duci nolue- De re  
 runt, ne ad ictus arietum esset dispositus, sed sinuosis anfracti- mil. IV.  
 bus iactis fundamentis clausere urbes: crebrisque turres in 2.  
 ipsis angulis ediderunt propterea, quia si quis ad murum tali  
 ordinatione constructum vel scalas vel machinas voluerit ad-  
 movere, non solum à fronte, sed etiam à lateribus & prope à  
 tergo veluti in sinum circumclusus opprimitur. Verum de ra-  
 tione muniendi non desunt etiam ex recentioribus viri ma-  
 gni & docti, qui docte admodum & ad nostra tempora con-*

gruenter seripserunt. Quæri hoc in loco potest, an arces & propugnacula (quæ vulgo Castella & Ciradellæ vocantur) in urbibus collocata ad earum magnitudinem faciant? Dubitandi causa hæc est, quia cives talium urbium ab hostium injuriis tutiores videntur: contrarium nihilominus à prudentioribus amplectitur, quia mercatores præcipue ea loca fugiunt, quæ arcis alicujus præsidio tenentur, quod ea vix unquam sine tyrannide præsumantur. Ideo Pedianus *arcem* definit *sedem tyranni*: & ut uno verbo dicam, solent ejusmodi arces, quod usus quotidie docet Principibus utiliores esse quam civibus. Imminet quoque periculum, ne arcium præfecti se ad urbem prodendam corrumpi sinant: ambitione ducti aut avaritia aut perfidia: hic vero metus civibus alicritatem adimit.

## CAPUT VII.

*De urbium commoditate, elegantia & magnificentia.*

**I**llud quoque ad urbis magnitudinem pertinet, ut ædificia tum publica tum privata ad usum commoda, ad hilaritatem & amoenitatem jucunda & ad urbis gratiam magnifica sint, sive molem, sive materiam, sive artificium, sive symmetriam spectes: Sint igitur urbium plateæ directæ ab una ad alteram partem, & latæ tum ad vecturam tum adversus ventos descriptæ: ad quas ædes privatorum ad pares constituantur dimensiones. Quam rem Vespasianum Gonzagam Principem prudentissimum in instauratione Sabloneta & Bozoli nostro tempore accurate observasse vidimus, ejus ob id quoque lubenter meminimus, quod Pater meus aliquando ab aula illi præfectus. Nec vero potest hac laude spoliari Bernensium magistratus, qui formam ædificandi civibus proposuit certam, juxta quam ædificaturo publicis impensis lapides & ligna usque ad locum ædificii convehuntur.

tur. Ac tamen si forma illa non à prudenti architecto usque-  
quaque profecta esse videatur, ut quæ porticus atque ades  
nimishumiles, minusque commodas habeat, tamen ob pro-  
portionem servatam urbs elegantissima iudicatur.

In platearum triviis latiores aræ relinquî solent ad fo-  
râ boaria, pistoria, piscaria, suaria, olitoria & similia. *Et si  
erunt mania (ait VITRUVIUS) secundum mare, arca, ubi fo- De ar-  
rum constituatur, eligenda proxime portum: sin autem medi- chiteâ.  
terranea, in oppido medio.* Prolixus nimis forem, si Italiæ & I. 7.  
Galliæ tot præclararum urbium elegantiam & magnificen-  
tiam recensere vellem; sed & Germania me detineret nimi-  
um, si exempli gratia, Augustam Vindelicorum, Noriber-  
gam, Uratislaviam, Argentoratum, Viennam, Antvverpi-  
am, Bruxellas Brugas aliasque complures describerem, quæ  
non minore laude dignæ; nam sumtuosissimis ædificiis stru-  
ctura solida & firma, plateis amplis ac nitidis illis nequaquã  
cedunt. Unico urbis Neapolis exemplo contentus ero, ubi  
infirmorum etiam ædes altitudinem Nobilium domorum æ-  
quant, omnesq; pene in quintâ contignationem, nonnullæ  
etiã in sextâ consurgunt, totis deniq; familiis sedes præbent  
& frontium specie atque pulchritudine nobilium domibus  
pares sunt; nam & ostia & fenestras affabre factas habent,  
antisque & epistylliis & zophoris ac coronis mirifice exor-  
natas. Ipsorum vero nobilium domibus nihil ad magnifi-  
centiam deest; nam maxima pars ex lapide sunt quadrato,  
peristylliaque habent atque ornatissimas & laxas porticus:  
quæque unica istius urbis commendatio est, maxima illarum  
pars hortos pensiles sustinent, felicissimarum quarumvis ar-  
borum sylvis confitos, ad secundam contignationem subla-  
tos, in qua herilis habitatio est, ut ex ipso trielinio & cubicu-  
lis, quibus herus utitur, sit in hortos ex æquo transitus.

Verum in publicis operibus magnificentia magis est ef-  
ferenda. Quis namque dubitat, quin templa, fora, theatra,  
amphitheatra, Basilicæ, Mausolæa, Pyramides, thermæ, por-  
ticus & ejusmodi ædificia, urbes reddant illustriores, ut, si ex  
solido marmore, prudenti structura, vel alia ratione conspi-  
cua sint. Augustum Cæsarem adeo urbem Romam excoluif-  
*In vita Augusti* se scribit SÆTONIUS, ut iure sit gloriatus, marmoream se re-  
*c. 28, 29.* linquere quam lateritiam accepisset. Publica opera plurima  
extruxit: Forum cum ade Marius Vltoris, Templum Apollinis  
in Palatio, ædem Tonantis Iovis in Capitolio. Cujus exem-  
plum secuti sunt multi ex successoribus, qui magnificentia  
ædificiorum multipliciter eum superarunt.

Magnus Sfortia patriam Cotignolam fortuito incen-  
dio absumptam privata liberalitate instaurandam suscepit sin-  
gulos etiam cives cohortando, ut ædificare luculentius vel-  
lent, siquidem ipse lateres, materiam, calcem se gratuito  
collaturum profiteretur. Factum ergo est, ut celeriter ad-  
ornatis domibus directisque viis privatim & publicæ gratiæ  
ingentes Principi agerentur, quod opportuna liberalitate &  
privatæ commoditati & elegantiæ publicæ consulisset. Pos-  
sent complures alii nominari, qui exstructis operibus magni-  
ficis, templis, xenodochiis, scholis, aquæ ductibus, gymna-  
siis, pontibus, palatiis, prætoriis aliisque urbes suas illustrio-  
res reddidere. Roma, Nemaufum, Verona, Dola amphi-  
theatris & Basilicis: eadem Roma, Florentia, Mediolanum,  
Ambianum, Argentiniæ aliæque templis augustis & amplis-  
simis celebres sunt.

#### CAPUT IIX.

*De urbibus ad Regias vias vel in Imperij finibus sitas.*

**A**D magnitudinem urbis plurimum conducet, si ita sita sit,  
ut illac homines multi quotidie iter facere cogantur,  
tum

tum quod ab extraneis multa importentur ad victum vestitumque necessaria, tum quod eâ ratione vectigalia augeantur. Quod si huc accedat, ut in Imperii vel Regni alicujus finibus jaceat, commoditas ad magnitudinem tanto major erit. Qui ex Italia vel Germania in Hispaniam proficiscuntur, ij fere omnes Genuam petunt & contra, qui ex Hispania in nostras tendunt regiones: inde fit, ut ūrbs hæc ob tantorum regnorum vicinitatem & commercia multis fruatur commodis, ex quibus cives ditescant. Similia de Antvverpia, Amstelrodamo, Venetiis, Augusta Vindelicorum, aliisque ūrbibus dici potest. Necdubium est, hoc inter alia Mediomatricum urbi, Coloniae, Genevæ, Argentinæ summe profuisse, quod in Imperii finibus jaceant. Trajectum in Frisia à trajiciendo dicta existimatur, ob frequentem mercatorum aliorum peregrinantium per hanc urbem transitum: quin etiam habet multa oppida vicina, ad quæ brevissimo tempore Trajecto perveniri potest. Crevit Lugdunum Galliarum ob magnum exterarum gentium concursum, quem parit situs; est enim ita in finibus Galliarum, ut medium fere totius Europæ constituat, unde cives omnia mercium genera in quamcunque orbis partem transferre possunt. De Constantinopoli paulo ante diximus eam tam commodo loco sitam, ut nemo ultro citroque in Asiam vel Europam trajicere possit nolentibus Constantinopolitanis, cum sit velut porta & pons utriusque orbis. Hispalis, quam vulgo *Sevillam* vocant, ita sita est, ut quotquot ex India naves pretiosissimis onustæ thesauris Æolo favente redeant eo appellere, seseque exinanire compellantur: ex quo magno numero quotannis in Augusto vel Septembri incredibiles ejusopes excrescunt.

## CAPUT IX.

*De thermarum salubrium opportunitate.*

**H**ominum concursui aquarum medicarum, quæ vel potione vel ablutione juvant, opportunitatem, causam non exiguam urbis amplificandæ præbere, usu est comperitum. Natura nos docet, ut ea quæramus, quæ ad salutem nostram, compendii aliquid adferunt, Sulphurosas comperimus articulis nervisque utiles: aluminosas pituitæ fluxionibus: bituminosas alvum sine dolore solvere. Thermas sanas, hist lubres censet PLINIUS in *Tarbellis Aquitanica gente, & in xxxi. 2. Pyrenæis montibus — Puteolos in Campania, Statyellas in Liguria, Sextias in Narbonensi provincia* (ita dictas, quia Sextius quidam apud eas oppidum condidit). *Nusquam tamen largius, quam in Baiano sinu* proveniunt. Et paucis interjectis: *In Campania regione Sinuessana aqua sterilitatem foeminarum, & virorum insaniam abolere produntur. In AEnarie insula, quæ reperiuntur, calculosis mederi.* Mirabilis aquarum calidarum ad Budam in Hungaria & ad Badenas tam Helveticas quam Marchionatus natura fertur, cum ebullientis aquæ tantus sit fervor, ut manibus vix tentari possit. Aquis granum pari ratione nobilitant aquarum calidarum uberrimi simul & saluberrimi fontes nec calore nec humore deficiente, tantaque copia scaturientes, ut singuli plures balnearum alveos non exiguos nova quotidie aqua implere queant, quorum multi intra moenia, cæteri in vico suburbano. Fabariæ quoque vulgo *Pfewers* thermæ apud Rætios ad cœnobium Benedictinorum vetustissimum sub Frederico II. Imperatore repertæ ulceribus, chironiis, corporibusque vel morbo vel labore resolutis mire utiles. In profundissimo & angustissimo hiatu, ad cuius apicem æstivo tempore meridianus Sol unica tantum hora pertingit, sitæ aquam

aquam fundunt calidam, pellucidam, inspidam, Majo primū mense ex scopulo prorumpentem, Septembri denuo evanescentem, sex fere mensibus feriatam. Valesiani quoque thermas Viberas sive Brigias habent sulphureas: habent quoque Leucinas tanti fervoris, ut cocturæ etiā inferviant, ad quas incolæ & advenæ crebri confluunt. In agro Senensi quatuor millibus ab urbe passuum aqua reperitur, quam vulgo *Bullubim* vocant, ad quam tanquam saluberrimam & quæ verno tempore epota pluribus morbis prodest, ingens hominum concurrir multitudo. Quod idem de balneis Lucensibus dici potest. Urbi quoque Neapolitanæ eximia adiditur gratia tepentium fontium, qui non modo delicatum usum balneorum præbent, sed ad complura morborum genera sananda & levanda miras habent virtutes. Sulphureæ quin etiā sunt venæ, ex quibus exhalans vapor per subterraneos specus ad corruptos humores excitandos debilitataque membra corroboranda, doloresque tollendos mirum in modum valent.

## CAPUT X.

*De vicinitate metalli fodinarum & mineralium.*

CUM usu compertum sit metallorum & mineralium fossionem uberem & magni quæstus esse, inde fit, ut homines libenter ea loca quarant, quæ metalli fodinas vicinas habent vel loca mineralia. Hispaniæ felicitatem admiratum Possidonium ferunt, Hispaniæ sul terraneæ non infernum sed Plutum ipsum, id est, eputentia Deum nominasse, eo quod tanta in eo terrarum tractu metallorum esset ubertas. Aurum laudatissimum adfert Boëtica, quæ totius Europæ maximè Australis, ut Africa Æthiopia: vicena millia pondo auri annis singulis Asturiam atque Galleciam & Lusitaniam præstare viri fide digni affirmant. Italia metallorum est ad-

eo fertilis, ut interdicto quondam opus fuerit ei parci. *Ex-Nat. hist stat lex censoria*, inquit PLINIUS, *stimulorum aurifodina*,  
 xxxiii. 4 *qua in Vercellensi agro cavebatur, ne plus quinque millia homi-*  
*Rer. Vn. num in opere publicani haberent.* Scribit BONFINIUS, *in ple-*  
*gar, Dec. risq. fluminibus Pannonia auri optimi ramenta inveniri, quin*  
 I. lib. 1. *& in vitibus in aurifero solo satis aurum quandoque legi.* Sed  
 & Transylvaniam non solum pecoris, vini, frumenti, sed ar-  
 genti etiam & auri feracissimam esse idem author est: ibiq;  
 amnes nonnullos auri fragmenta quandoque sesquilibria  
 trahere, cum montibus undique sit circumsepta in coronæ  
 Histor. speciem. ÆNEAS SYLVIUS testatur Cuthnam in regno Bo-  
 Bob. c. hemia argenti inexhaustas fodinas (propter quas *Thaboren-*  
 44. *ses eam crumenam AntiChristi vocabant*) habere. Tempo-  
 Nat. hist re Plinii constat, *adhuc per Hispanias ab Annibale inchoatos*  
 xxxiii. *argenti puteos durare sua ab inventoribus nominahabentes.* *Ex*  
 6. *queis unus Bebelo appellatur hodieque, qui CCC pondo Anni-*  
*bali subministravit indies, ad mille quingentos iam passus ca-*  
*vato monte.*

Montes qui in Foro-Julio sunt, omnibus fere metallo-  
 rum generibus abundant, nempe ferro, plumbo: marmor  
 etiam habent nigrum, candidum, varium, lapillos carneo-  
 los, berillos & similes, item crystallum. Jam de Salinariis  
 aliquid dicamus. Salis genera hæc recensentur: cæsum, fos-  
 sitium, fontanum, fluviatile, lacustre & marinum. Scribit  
 Marinæus apud Ribagorciam in Hispania sal lapidum more  
 cædi & arborum instar pullulare & renasci. Drepanum urbs  
 Siciliae salis gaudet stagnis, quæ Solis ardoribus desiccata in-  
 credibilem salis copiam præbent. Cardonæ quamplurimi  
 se ex salis mercatura sustentant: præstat enim ille locus salis  
 fertilitate vicinis omnibus. Notum illud, quantum lucri ex  
 salinis Gallicis percipiatur; nam videmus sæpissime navium  
 pere-



perēgrinarum classes ad mare Gallicum appellere salis exportandi causa. Salinæ uberrimæ in Germania sunt Lunæburgi in primis & Halæ Saxonum; unde præcipui civium vitam adeo honestam tolerant, ut mercatura illa nobilitatis species esse censeatur. Restaret ut & de terris dicere fecundis sulphure, bitumine, pice, naphtha, succino; sed cum brevitati præscriptæ mihi parendum sit & hæc apud alios reperiantur hoc unum dixisse sufficiat: Papa Pio II sedente in agro Tolphano prope Centumcellas montes aluminis patefactos esse, ex quibus proventus annui centum millium aureorum nummum summam excedunt: quantum etiam Volaterani ex aluminis fossura ditescant & reliqui hoc negotii genus tractantes palam est.

## CAPUT XI.

*De urbibus, quæ Academicis, Collegiis vel Bibliothecis florent.*

**H**Astenus de urbe inanimata, id est, de urbis situ & ædificiis diximus: jam tempus postulat, ut ad civitatem, quæ animata est, progrediamur & ea pariter, quæ ad urbium magnitudinem faciunt examinemus. Inter quæ primum locum dabimus Academicis & Scholis, quas vulgo Universales vocant. Nam ubi omnis generis disciplinæ publice gratis & cum applausu explicantur, solet merito urbs aliqua etiam à remotissimis quibusque visitari; urbs inquam illa obscura esse non potest. Ut enim magnetis montes, etiam si plerisque incogniti sint, chalybis aciem magnete fricatam ad suas vertunt partes; sic Academicæ ob docentium eruditionem ex quacunque orbis parte quamplurimos ad se ex præcipuis quavis terrarum spatio longe lateque disertos pertrahunt. Inde rot præstantissimos viros in exteris regiones discendi studio legimus in Babyloniam, Chaldæam, Mediam, Assyriam, Sy-

riam, Phœniciam, Arabiam, Palæstinam & Æthiopiam profectos. Verum quid antiquioribus hisce exemplis opus? Quor quæso in Germania, Gallia, Italia & Polonia oppida, quæ ante Gymnasia ibi constructa tam obscura fuerunt, ut Geographica noluerint vel exiguo, aliquo loco in tabulis suis donare; eademque postea ad tantam magnitudinem ex solo studiosorum concursu Academiaque celebritate excreverunt, ut nunc cum præcipuis urbibus certent, id quod in Principio. alio loco me dicere memini.

Celebres Athenæ magis ex studiorum cultura, quam aliade causa fuerunt: ideo eas nonnulli *Museum Græcia* vocant, alii *culmen & firmamentum sapientia*. Memphis non solum propter religionem & Deorum cultum Regumque sepulchra celebris, sed etiam sapientiæ studio summe floruit. Rhodus non tam ob loci opportunitatem, quam ob Gymnasium celeberrimum nota quondam orbe toto fuit. Idem de Massilia olim; Lugduno, Lutetia, Aurelia, Biturigibus, Bononia, Salamanca, Patavio, Pisis, Vienna, Praga, Lovanio, Heidelbergâ, Basilea, aliisque dici posset.

Porro Academiae celebriores futurae sunt, si collegiis bene auctis & locupletatis, gaudeant, in quibus, qui inter Scholasticos inopes sunt, vili pretio vel gratis nutriuntur, ne penuria multos, qui bonis ingeniis præditi sunt, studia deserere cogat, quam rationem ubiq; locorum, in quibus Academiae florent, observari videmus. Patavii ut alia omittam Gymnasia, novem collegia ad sustinendam studiosorum juvenum inopiam: Forojulensium, Feltrinum, Spinellium, Pithium, Campionis, Neapolitanum, Brixianum, Græcum & Ravennate. Quo nomine liceat mihi unum de multis laudare Serenissimum JOHANNEM CASIMIRUM Archipalatinatus Administratorem, Principem æterna memoria dignum: qui quam-

quamvis armis potius quam literis excelluerit, collegia nihilominus literaria magnifica & *Neostadyj & Heidelbergæ* reliquit magnis redditibus locupletissima.

Quod de Academiis & Collegiis dictum, ad loca quæ religione præcæteris commendantur trahi possunt. Cujus rei exempla habemus apud Ethnicos; non minus enim religionis studium in Iudæo, Ethnico, Turca esse potest, quam in Christiano: in hoc tamen verius, hinc à reliquis ita differt, uti lux à tenebris, veritas à mendacio, corpus à phantasmate. Perpendamus magnum ad templum Dianæ veterum concursum, Hierosolymam, Romam, Memphim & alia sacris ædificiis insignita loca & rem ita se haberi fatebimur.

Cæteram & Bibliothecas bene instructas Academiarum & urbium celebritatem augere, non est dubium. Sunt Bibliothecæ *thesauri literarij*, in quibus optimorum authorum libri reconduntur, qui & universæ Reipublicæ & privatorum commodis inserviunt. Laurensi laudes celebrat Athenæus, ejusque insignem librorum numerum, refertque inter eos, qui admiratione digni visi sunt in congerendis libris, Polycratem Samium, Positratum qui regnavit Athenis, Nicostратum Cyprium, Regesque Pergami & Ægypti. Adrianus Jovis & Junonis templum ædificavit communemque omnibus Diis ædē, in qua Bibliotheca & Gymnasium Adriani nomine erat. Sed ut propius ad nostræ tempora accedamus & Constantinum, Carolum M. Ludovicum Pium, Alphonsum Arragonum Regem aliosque prætereamus, Franciscum I. Galliæ Regem Parisiis apud S. Victorem & in arce Fontanablio bibliothecas præclaras instituisse notum est, quas conquestis undique libris rarissimis ex media usque Græcia & Arabia illustravit. Bononiæ duæ sunt bibliothecæ, una ad Salvatorem, altera ad D. Dominicum. Florentiæ sex ostenduntur

duntur: ad Laurentium, D: Marcum, D: Benedictum, ad S: Crucem, apud Episcopum & ad D: Mariam novellam. Romæ quotidie aperitur per duas horas bibliotheca Græcis Latinisque libris exquisitissimis refertissima: De cæteris, quæ in monasteriis reperiuntur nihil dicam. Venetiis quoque insignis bibliotheca visitur, quam BÈSSARION Venetis legavit. Cûr vero Serenissimi & Põtentissimi FRIDERICI IV. Electoris, Domini mei bibliotheca augustæ, quæ Heidelbergæ in æde S: Spiritus adservatur, obliviscar? hæc libris optimis iisque raris adeo repleta est; ut cum præcipuis Italia & Galliæ bibliothecis certet, cui tam celebri bibliothecæ optimi Principis jussu præest PAULUS MELISSUS:

*Vates iam dudum tota celeberrimus orbe*

ejusque studio indefessò magnum ea indies incrementum capit.

## CAPUT XII.

*De urbibus, quæ magnorum Principum aulis vel summis dicasteriis clarent:*

QVis dubitat urbes eas, in quibus Imperatores Reges alii- que Principes frequentius habitant, tum ob subditorum, quibus cum Principe res est, concursum; tum ob multiplicia aulae ministeria exterorum Principum & legatorum aliorumque adventum ampliores fieri? Adfert & Principis habitatio hoc commodi, quod ædificiis splendidioribus magis urbs exornatur, artibusque manuariis & cæteris rebus ad vitum vestitumque necessariis adfluat necesse sit. Vnus quotidie docet, quantum incommodi Principis ab ordinario habitationis loco absentia civibus, qui muscas interea captare compelluntur, adferat. Quo tempore Pontifices Roma relicta Avenioni annos plus minus septuaginta habitarunt, urbem plane desertam undique corruere vidisses, ut refert

PLATINA; sed post reditum Gregorii XI aliam protinus factam induisse apparuit. Postquam Honorius Imperator Roma relicta Ravennæ sedem Imperii constituit, confestim urbs ista maximis tum ædificiorum privatorum publicorūq; operibus tum non mediocribus civium atque incolarum opibus crevit. Eandem quoque Valentinianus III pro Imperii sede habuit causamque dixit, ut omni munimentorum & ornamentorum genere insigniretur. Idem de Constantino poli, Praga, Lutetia, aliisque urbibus, in quibus Regia aliqua dici posset.

Quod de Regis sedibus dictum est, id ad suprema dicasteria, ubi negotia & controversiæ privatorum definiuntur, trahi potest, quo ob causarum forensium multitudinem quam plurimi confluant necesse est: quæ res immanem pecuniæ vim immensasque opes urbibus accumulât. Argumento est Jurisconsultorum, Procuratorum, Scribarumque infinitus numerus, qui extenui re ad amplissimas opes perveniunt, quique magnificentissimas passim comparant & ædificant ædes latifundiaque & amplissima patrimonia successoribus suis relinquunt. Incredibile dictu esset, omnes, qui iudiciis Romæ inserviunt, enumerare. Quod ibi auditores Rota? quod clérici camera? quot thesaurarii? quot Protonotarii Apostolici? quot Subdiaconi? quot Secretarii Apostolici? quot correctores Cancellariæ? quot Summistæ? quot abbreviatores? quot minores? quot ostiarii Cancellariæ? quot Scriptores Apostolici? quot scriptores brevium? quot procuratores Pœnitentiariæ? quot scriptores Pœnitentiariæ? quot collectores plumbi? quot correctores Pœnitentiariæ? quot sollicitatores? quod correctores Archivi? quot scriptores Archivi? quot secretarii bullarum salariatarum? Quid multis; quot notarii? quot praesides Ripæ? quot cursores?

Tale quid de Parliamentis Gallia, de Tribunali summo Romani Imperii aliisque dici possit. In tantum apud omnes litium situs crevit. Adde quod nulla sit pactio, nullum testamentum, nullum caput legis, nullum verbum, nulla syllaba, ex qua argumenta verisimilia ad litium propagationem maximo civium malo exprimi non valeant. Sed hæc de re alio loco me dixisse commemini. Urbes quoque, ubi frequenter Regni vel Imperii comitia habentur, vel ubi Reges diademate insigniuntur regniq; ceremoniis more majorum inaugurantur, indies celebriores reddi nullus dubito.

### CAPUT XIII.

*De urbibus, quas Nobilium multitudo incolit.*

**U**Rbes, quæ à Nobilioribus coluntur, incrementum indies capere oportet. Quæris quæ fiat, quod in Italia magnificentiores urbes quam multis aliis in regnis reperiantur? Sed non est difficile quod respondeam. Id enim fit tum aliis, tum hac præcipue de causa: quot Italos nobiles, loquor de præcipuis non de mercatoribus urbes inhabitare non pudet, cum contra multis aliis in locis Nobilium plerique rusticentur, id est, ruri vel in prædiis quæ possident hæcant, eosque qui in urbibus habitant pro ignobilibus censeant. Nobiles, qui in luce hominum versantur, dignitatis suæ etiam in adium splendore memores esse necesse est: inde ædificandi studium, ex quo urbium magnificentia. Quam bene vero illud fiat, penes prudentiores iudicium esto. Nam ingenue fateor me non intelligere, quare hodie ignobilius sit urbes bene munitas incolere, quam olim, quo tempore splendidissimi equites consulatum etiam in præcipuis Gallia & Germaniæ urbibus gerebant; aut quare nobilius sit casæ alicui rustice imperare quam urbi sæpe numero Metropolitanæ. Nam si urbes à nobilibus incolerentur, nullum dubium est eos præcipuam

cipuam magistratus partem facturos. Neque vero metuenda illis est potius generosi sanguinis cum plebeio & ordinum nescio quæ confusio, quam vel antiquis Romanis vel hodie ipsos quos diximus. Scribit Ubertus Folietta, quod stupendum est & fere incredibile, Neapoli plusquam septingentos eives esse, vicorum, castellorum, urbium, etiam dominatu conspicuos: in quibus plus centum Principes, Dices, Marchiones, Comites, magnusque eorum numerus sit, quorum annua vectigalia quindenarium millia excedant, nonnullorum etiam ad quinquaginta aut eo etiam amplius perveniant, ut vere dici possit, majorem prope esse in illa urbe feudatinentium dominantiumque, quam in multis aliis opificum & sellulariorum numerum. Alexander M. urbem plus septuaginta in solo Barbarico edificavit; sed illud semper vel imprimis advertit, ut à præcipuis & potentioribus illorum regionum incolis habitarentur: quod idem observasse scribunt Figranem in urbe, quam inter Iberiam & Zeugma, quod juxta Euphratem est, condidit.

## CAPUT XLV.

*De urbibus, quæ negotiationibus & mercimoniis clara sunt.*

**M**ercatores, cum sine fraude pecuniam faciunt, ingentes urbi utilitates adferre perspicuum est; per illos enim quæ civibus superflua exportantur, & quæ nobis necessaria sunt quæque apud nos non inveniuntur, aliunde ad usum quotidianum importantur. Sed & mercatorum peritia & opibus sæpe non levia pericula propulsari contingit. Hinc omnes commercii nobiles urbem plerumque magnas esse videmus. Venetiis patrii moris est, ut pars multo maxima civium tertia fere diei hora unum in locum coear velut ad Emporium negotiorum causa; *Rivovalto* est loco nomen, ut a-

libi *Börſæ*, ubi ſine fremitu, ſine altercatione tanquam nutu non verbis inter ſe paciſcuntur, *cunctaque orbis verius quam urbis negotia incredibili ſilentio tranſigunt*, ut ait Sabellicus. Nullum eſt emporium interni maris, (quod à Gauditano freto inter Africam & Europam in Syriam & Ægyptum ad ortum excurrit, ad Septentrionem vero & Boream in Boſphorum & Mæotidē paludem) nullus tam ignotus litroris reſſus, quem Venetæ triremes ex antiquo civitatis inſtituto negotiorum cauſa non frequentent. Teſtatur idem Sabellicus, naves Venetiis haberi, quæ ſtatis anni temporibus ad merces ex remotiſſimis locis convehendas publice inſtruuntur. Ex his quatuor longæ ex Syria atque ex Ægypto totidem aromata, ſericum, uniones deferunt; Ex Lybia tres aurum, gemmas & mancipia: duæ ex interna Gallici maris ora pretioſiſſimum vellus & Hispanicum ſericum omnium nobiliſſimum; quatuor à Tanai & Mæotide palude ſaſſamenta, tapetas & ſmaragdos: quatuor ex Gallici oceani emporiis lanas, aurum, aulæa & Flandrenſis panni vim ingentem.

Hæc cum ita ſint, quid mirum ſi civitas iſta ad tantam magnitudinem excreverit. Non diſſimilia de Genua, Neapoli, Antvverpia, Amſtelrodamo, Lubeca aliisque multis maritimis urbibus dici poſſunt; quam multa ibi quoque, quam magna, quam multiplicia mercimoniorum varietas, ſive in maritima ſive in terreſtria commercia mercatorumque multitudinē intueare? Maritimorum quidem commerciorum teſtis eſt portus in quolibet urbium illarum onerariis & omnis generis navigiis perpetuo reſertus. Ampliſſimæ ſunt ſocietates in vectigalibus publicis exercendis, & in cæteris omnibus rebus, in quibus mercatorum laborat induſtria, occupatæ. Ex hoc fonte naſcitur, quod videmus emporia & annuos mercatus urbes nobilitare. Lug-



Lugdunum Galliæ urbs ob celeberrimum emporium & olim & hodie clarum. *Ormus emporium Arabia Felicis, cum omnibus abundet ob concursum gentium, licet ibi nihil nascatur, mortales habet solertissimos: jactant enim convena, si mundus esset annulus, Ormus esset illius gemma, ut loquitur*

CARDANUS. Similiter Francofurtum ad Mœnum Indies amplius & magnificentius ob duos illos annuos mercatus fieri videmus. *De rerū varietate l. 4.*

Cœterum quæ urbs commercia ad se trahere cogitat, in id incumbere necesse est, ut magna cura privilegia mercatoribus etiam extraneis præcipue nundinarum tempore conserventur, ut possit securus & ipsis & mercibus esse accessus, mansio & recessus. Sunt mercatores tempore emporii sub fide singulari & protectione principum vel illius Reipublicæ, quæ nundinas indulget. Jurisdictio quoque mercatoribus, quod nec jure improbatur, summarie potissimum & de plano administrari debet & bona fide conservari, providendumque ne vis illis fiat; item ut libris eorum fides habeatur ad certam summam observatis circumstantiis rationabili suspitione destitutis.

## CAPIT XV.

*De urbibus, in quibus opificum omnis generis magna est copia.*

QVamvis apud priscos Romanos, Lacones, Corinthios, Thraces, aliosque nonnullos populos opifices manuarum in pretio non fuerint, quo plures militiæ studerent, non ideo sequitur etiam opificia urbibus non summopere esse utilia: fateor, si mechanicæ artes cum liberalibus conferantur, sordidas eas dici posse, sed non idcirco opifices ab urbe pellendi, quia viliores. Nec populi illi, dum peregrinis lucrum indulserunt, opes suas interim valde auxerunt & do-

cetufus opificibus manuariis nihil utilius esse: quod intellexit jam pridem Alexander Imperator, qui omnium vere opificiorum corpora Romæ constituit iisque immunitates tribuit, ut necessariam operam Reipublicæ præberent. Masiliensium legibus nemo in civium numerum recipiebatur, qui artem nullam, qua se sustentaret, calleret. Scribit Dio-

*Biblioth* DORUS SICULUS *ex septem tribubus Indorum quartum lictum*  
*hist. 11.* opifices tenere, quorum pars armis, pars rusticis instrumentis  
 41. aliisque utensilibus fabricandis vacat. Hi non solum immunitatem habent, sed certam quoque frumenti mensuram à regis granariis accipiunt. Ex Amasis Regis instituto non solum

cogebatur unusquisque destinato magistratui, quo se artificio meretur palam facere, sed etiam ex Græcia & Asia magnis præmiis manuarii isti evocabantur. Legem quin etiam auctore Solone Athenis fuisse proditum est, ut puberes omnes artibus addiscendis vacarent, quod ista fiebat ratione: proponebantur ijs publice singularum artium instrumenta & quo quisque instrumento delectaretur, ea in arte instituebatur, ut naturam secutus tanto evaderet præstantior. Ia-

*Rerum* *Scotic. x.* *scobum primum* Scotorum Regem scribit BUCHANANUS opifices omnis generis à Flandria præmitis & immunitatibus excivisse, urbesque prope vacuas (quod nobilitas veteri instituto in agris se contineret) hoc genere hominum replevisse: neque speciem tantum & frequentiam antiquam oppidis ita restituit, sed magnam otiosorum turbam ab inertia ad laborem traduxit, effecitque, ne quod parvo sumtu domi confici posset, magno pretio foris pararetur. Intelligebat vir prudens quantum utilitatis opificia secum trahant. Mediolani tam multa sunt tamque diversa artificum genera, ut inde vulgi sit natum proverbium: *Qui Italiam reficere totam vult, Mediolanum destruerè debet*, ut tot opificum collegia per totam Italiam spargantur. Coete.

Coeterum prudentes magistratus in id semper incubuerunt sedulo, ut urbes, quibus præsidebant, si non pluribus, uno saltem opificii genere cæteros pópulos antecellerent, ut hac ratione eos ad se pertraherent. Damasceni armis fabricandis excellunt, Florentini pannis subtilioribus, Arelatenses tapetibus, Genuenses holosericis, Mediolanenses telis aureis, Veneti purpura, Angli omnis generis pannis, quorum tanta ibi copiâ, ut ducenta millia laneorum præter alia una Antvverpia quotannis Londino accipiat; Neapolitani tibialibus holosericis, Mantuani lanceis, Cameracenses telis, alii aliis rebus eminent. Ad summam: caput hoc Attica illa sententia concludendum: *ut quisque plurimas in civitate artes exercet, ita utilissimus quoque existimatur.* Nam non modo simul vivendi gratia civilis hæc societas instituta est, sed, quod initio dicebamus, bene ac commodius agendi vitam. Proinde qui plus confert utilitatis, ille majore benevolentia ac gratia dignus est. Verum magistratus hîc cura erit, ut opera & opificia sine ulla fraude, dolo vel furo perficiantur solida juxta opificii cujusque leges. Quod ut melius fiat, inspectores cuilibet collegio præficiantur, qui opera examinent. Cavendum quoque, ne prætextu societatum, opificiorum monopolia vel factiones aut conjurationes obtineantur.

## CAPUT XVI.

*De urbibus, quæ ius civitatis facile peregrinis & advenis tribuunt, civibusque privilegia varia largiuntur & conservant.*

**N**ihil meo quidem iudicio ijs magistratibus ineptius, qui ius civitatis paucis communicandum idque magna pecunia censent. Illud ait CICERO, *sine ulla dubitatione maxime nostrum fundavit imperium & Pop. Rom. nomen auxit, pro Corn.*

quod princeps ille creator huius urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere; cuius auctoritate & exemplo nunquam est intermissa à maioribus nostris largitio & communicatio civitatis. Quod ad urbem usque à Gallis captam duravit: postea quotquot erant alicujus oppidi cives, qui Romam venirent, quamquam Romæ domicilium nullum haberent, eodem quo cives Romani loco habebantur, si domicilium etiã transitu lerant, cives erant. Memini nre alicubi exemplum Claudii Cæsaris adducere, qui multas barbaricas gentes civitate donavit, eo quod diceret, nihil magis Lacedæmoniis & Atheniensibus exitio fuisse, quam quod tam difficulter peregrinis jus civitatis communicarent,

*Dumque offers victis proprij consortia iuris,  
Urbem fecisti, quod prius orbis erat.*

Byzantini, cum lex esset, ne quis admitteretur ad jus civitatis, qui non esset utroque parente cive natus sanxerunt, quicumque esset solvendò libras triginta, eum civem fore. Anno Christi supra millesimum trecentesimo quadragesimo secundo Venetiis precedente terræ motu nova vis pestilentiaë inguinaria ad eò lethali ter sæviit, ut ex omni languentium numero vix centesimus quisque evaserit: tunc Veneti in tam fœda urbis vastitate edictum proposuerunt, ut quicumque Venetias cum conjuge & liberis peterent, perseverarentque biennio in novo incolatu cives essent. Et ne longius abeamus, exemplum à maximis; quæ hodie sunt urbibus sumamus: quid facilius quàm aut Lutetiã, aut Mediolani aut Ulissiponæ aut in simili urbi jus civitatis adipisci?

Ad civium privilegia & immunitates venio. Faciunt privilegia civitatibus concessa urbes, quo majora sunt, tanta populosiores. Omnes natura eo trahuntur, ubi magis

gnis beneficiis potiri sperant. Quoties, quæso, vidimus auctis privilegiis auctam quoque paulo post ipsam urbem? *Sed civitas*, inquit ille, *incredibile memoratum est, adepta libertate quantum brevi creverit.* Antoninus Pius urbes divisit in maximas, majores & minores pro ratione privilegiorum majorum vel minorum, quibus fruebantur. *Decet autem* inquit MODESTINUS, *maximo quidem numero (im-* l. 6. §. 2.  
*munitatum) uti metropoles gentium: secundo autem quæ ff. de ex-*  
*habent vel forum causarum vel loca iudiciorum: tertio autem cusat.*  
*reliquas.* Unde liquet maximas & præstantiores metropo- tut.  
 les dictas, majores, ubi tribunalia iudicum, minores cate-  
 ras. Augustus adeo privilegia conservanda civibus censuit,  
 ut publice aliquando professus sit, se facilius passurum fisco  
 aliquid detrahi, quam privilegiis Romanorum.

Porro quia in urbibus vel mediocribus fieri non potest, ut omnes incolæ cives sint, ad securitatem civitatis non parum faciet, notum esse magistratui, qui & quot in urbe alienigenæ vel hospites ad mala præcavenda, quæ multis urbibus infausta fuisse animadvertimus. Nam si numerus advenarum civium excedat numerum, vel si hospites ex ijs sint, quibus cum nobis bellum, urbs malis hisce humoribus purganda erit, ita tamen ut cum cæteris amice semper agamus. *Advenam* inquit DEUS, *non contristabis neque affli-* Exodi  
*ges eum.* Et alibi: *Si habitaverit advena in terra vestra &* xxii. 21.  
*moratus fuerit inter vos, non exprobetis ei. Sed sit inter vos* Levit.  
*quasi indigena & diligetis eum quasi vosmet ipsos.* An autem xix. 33.  
 tempore famis peregrini expellendi sint audiemus AM- 34.  
 BROSIUM: *Fera non expellunt feras, & homo excludit homi-* De offic.  
*nem? Fera ac bestia communem putant omnibus vitum quem* 111. 8.  
*terra ministrat. Illa etiam conformem sui generis adiuvant,*  
*homo impugnat qui nihil à se alienum debet credere, quicquid*

humani est. Quanto ille rectius, qui cum iam propecta processisset atate & famem toleraret civitas atque peteret vulgus, ut peregrini urbe prohiberentur, præfectura urbana curam cæteris maiorem sustinens convocavit honoratos & locupletiores viros, poposcit ut in medium consulerent, dicens: Quam immane esset peregrinos ejici, quam hominem exueret, qui cibum ( præ fame ) morienti negaret? Canes ante mensas impastos esse non patimur & homines extrudimus? Quam inutile quoque tot populos mundo perire, quos dira conficeret tabes? quantos urbi sua perire, qui solerent adiumento esse vel in conferendis subsidiis vel in celebrandis commerciis? neminem fame aliena turvari: protrahere ut plurimum diem posse, non inopiam repellere: imo tot cultoribus extinctis, tot agricolis occidentibus occasura in perpetuum subsidia frumentaria. Hos igitur excludimus, qui victum nobis inferre consueverunt? Hos nolumus in tempore necessitatis pascere, qui nos omni aetate paverunt? Quanta sunt quæ ab ipsis hoc ipso tempore nobis ministrantur?

## CAPUT XVII.

De urbibus, quæ matrimoniis favent.

l. 1. ff.  
solut.  
matrim.

SI civitas est civium unum in locum, coëuntium confociatio, sequitur eam propter hominum mortalitatem sine liberorum procreatione ac propagatione stare non posse. Atque hoc nimirum illud est, quod POMPONIUS indicat in liberorū procreatione versari utilitatem publicam: *Dotium causa semper & ubique præcipua est; nam & publice interest, dotes mulieribus conservari, cum dotatas esse feminas ad sobolem procreandam replendamque liberis civitatem maxime sit necessarium.* Eam autem esse ejusmodi, in quæ civitatis status consistat, patet, utpote, quæ ad replendam liberis civitatem, id est, ad eam confociationem, quæ civitatem consti-

constituit, tuendam pertineat. Et quia ad existimationem quoque & honorem civitatis spectat, turpes soboles non innasci, quæ quamdiu exstarent suam infamiam civitati quodammodo exprobrent, ideo magistratus est animadvertere, ne alia conjunctio, quam ea quæ est in nuptiis, usque honeste & legitime contractis in civitatem recipiatur. Non minor Romanis matrimoniorum causa fuit, quam aliorum gravissimorum negotiorum, tum ut dixi ad amplificandam civitatem, tum ad familiarum dignitatem conservandam, atque id leges testantur censorumque diligens prudentia. Q. Metellus Numidius Censor & post eum Julius Cæsar & subinde D. Augustus aliique liberorum gignendorum & sobolis causa de maritandis ordinibus leges tulerunt, ut eos ad sobolem procreandam pecuniis & immunitatibus invitarent, vacatione munerum, jure trium liberorum & libertate. Furius Camillus eum censuram ageret, ut exhaustæ civitati propter assiduas bellorum clades cives suppeterent, legem de maritundis ordinibus tulit, qua inter cætera poena coercuit eos, qui viduarum nuptias, quarum viri bello ceciderant, devitabant: eos vero qui ad senectutem calibres pervenerant, ærario reddidit. Fuerunt etiam leges, Julia *l. 1. & 2.* & Papia, quæ ex aliorum testamentis exales quicquam *C. de in-* capere prohibebant & puniebant calibatum & orbitatem *firm. par* filiorum. Quantum vero ad curam matrimoniorum, quæ *calib. &* respicit publicam utilitatem, publica potestas in his reman- *orb.* sit inter orphanas maxime personas, sed conservatis juribus paternis & maternis quoad conjunctionem juxta Theodosii & Honorii Constitutionem.

## CAPUT XIIII.

*De urbibus, in quibus asyla.*

**P**rimus Cadmus, cum Thebas conderet inter Græcos a-  
sylum

sylum aperuisse fertur, ad quod fugientes sine discrimine fervi aut liberi ab omni pœna tuti erant: post quod in Rhe-tæo littore Aiacis fuit Asylum, in Sigæo Achillis; quorum exemplo Romulus suum aperuit ad lucum opacum & val-lem inter Capitolium & arcem, ut hac ratione urbem red-deret populosam. Hinc OVIDIUS:

*Fast. III.*

*Æ. 440.*

*Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,*

*Quilibet huc (dixit) confuge, tutus eris.*

Asyla igitur loca sunt in quibus vel divino numine vel prin-cipum majestâte homines ab externa vi defenduntur. Qui capti bello ad Imperatorum Regumque statuas confugis-sent, velut ad asylum nexu solvebantur & immunes erant. De Dongardo quodam Scotorum Rege legimus eum loca omnia Christo sacra per universas Scotiæ regiones asyla ef-fecisse, & ad ea confugientes servos fugitivos liberos & cu-jusvis criminis reos, ne iudicium subire cogentur, publica authoritate, dum illic se continerent Regio cavisse edicto.

Sed quæri hic video, an asyla, quæ non modo insidias timentibus, sed quibusvis fontibus etiam majestatis reis pa-rent, toleranda sint? Casar Tiberius sane, cum propter Asy-lorum privilegia multa facinora magna licentia admitte-rentur, eorum immunitates, ne impunita essent crimina ab-rogavit, & inolitum eorum morem antiquavit. Ante eum Augustus Dianæ Ephesiæ templum, ad quod confugientes noxii mancipio solvebantur, eo privilegio spoliavit, ne im-munitas ista facinoribus causam præberet. Et ut ad nostra tempora veniam, scribunt Henricum VII Anglorum Re-gem, cum assiduis rebellium insidiis regnum turbaretur, ut improbos coerceret, qui conspiratione non succedente in

*Exod.*

*xxi. 14.*

diversa asyla se recipiebant, asyla destruxisse. Deus O. M. ipse de asylis ita statuit: *Si quis per industriam occiderit pro-*  
*ximum*



*ximum suum & per insidias, ab altari meo revekes eum, ut moriatur.* Hisce sane non obstantibus, si quis existimet casus dari posse, quibus asyla permitti debeant, id tamen sine discrimine fieri non debere concedat necesse est, ut saltem abusus tollatur ejusmodi immunitatis, ne, quod favore majestatis divinæ vel humanæ introductum est, in ejus odium convertatur. Asyla eorum causa introducta videntur, qui non sponte deliquerunt, sed vel casu vel se defendendo. Evasio autem illa erat ad discernendum: nam pœna dignus esset, non autem ut liberaretur à pœna, si per odium vel insidias occidisset. Blasphemi itaque, virginum raptores, homicidæ animi deliberati, sacrilegi, rei majestatis divinæ, sed & humanæ ab hoc privilegio excludendi sunt. Non enim meretur beneficio legis frui, qui contra ejus auctoritatem aliquid committit. In Gallia solent ad Ecclesias confugi- entes capi salvo jure redintegrandi, nempe ut post captio- nem cognoscatur, an immunitate Ecclesiæ gaudere possit, quo casu ad Ecclesiam remittitur: quod si per sententiam judicatum fuerit, captum eo privilegio indignum videri, retinetur & observato juris tramite condemnatur.

## CAPUT XIX.

*De crebris spectaculis, missilibus, publicis convivis, aliisque ludis.*

**I**udæos reperio, Græcos & Romanos variis iisque crebris spectaculorum generibus populum undequaque in urbes traxisse. Scribit JOSEPHUS Herodem Judæorum Regem *ludos Olympios non satis respondentes sua celebritati propter inopiam, de suo adiuvisse constitatis annuis reditibus, quo splendidius & sacrificia fierent & alia quæ ad decorandum tam frequentem conventum pertinerent.* Græci adeo ludorum Olympiorum studiosi fuerunt, ut nec excisa quidem à Ro-

*Antiq.  
Jud. xvi.  
9.*

manis Corintho omitti sint, sed & eorum negotium Sicyoniis commissum. C. Julius Cæsar spectacula gladiatorum, venationes & ludos, pompas atque convivia profusissimis sumptibus exhibuit, ut priorum munificentias omnes obliteraret plebemque sibi obliteratissimam redderet; ne Soli spectantibus molestus esset, peripetasmata serica supra extensa fuerunt: qui pannifacii primum ad Barbarorum voluptatem ab illis ad Romanos & ad muliebres delicias fuerunt importati. Testatur Suetonius ad spectacula ab ipso edita, tantum undique confluisse hominum, ut plerique advena aut inter vitos aut inter vias tabernaculis positus manerent: ac sæpe præ turba elisi exanimatique sint plurimi & in his duo Senatores. Subsellia ita comta habuerunt, ut crocum & vinum per singulos cuneos spargerent, illosque præcipuis odoribus diluerent ac picturis exornarent: interdum minio ac chrysolilla arenam circi sternerent, ita ut Adrianus feratur balsama & crocum per gradus theatri stravisse, Pompeium ne populum æstus offenderet, etiam aquæ decursum per sellia duxisse scribunt. Sub Severo certamen mulierum institutum fuisse legitur, in quo tanta hominum convenerat multitudo, ut mirarentur omnes, quomodo solos athletas stadium caperet. Isto in certamine, ut hoc obiter dicam, cum mulieres crudelissime pugnassent, essentque ob eam causam cæteras nobilissimas foeminas convitiis insectatæ, cautum in postertum, ne qua mulier gladiatorio munere fungeretur. Sub eodem principe propter victorias, quas reportaverat, varia edita spectacula, in quibus apri sexaginta Plautiani invicem certaverunt, cæcæque sunt alia per multa bestia, atque in primis elephas & cocodræ animal Indicum Romæ antea nunquam visum. Receptaculum instar navis in theatro edificatum erat ad continendas

nendas feras quadraginta easdemque simul omnes reddendas; inter quas leonæ erant, ursi, pantheræ, struthiones, onagri, biffones (genus boum ferum ad spectu) aliaque complura animalia. Quin etiam septingentæ aliæ feræ mansuetæque bestię concurrere & postea confodi visæ sunt: occisis namque singulis diebus centum pronumero dierum festorum septem septingentæ fuerunt interemptæ. De Traiano etiam legimus, eum, quo tempore complures legationes à Barbaris præcipue ab Indis venissent, spectacula edidisse dierum centum viginti trium, in quibus interdum mille cæfæ sint feræ, mansuetæque bestię, interdum ad decem milia & athletarum totidem inter se concertarint. Apparet ex his, non mirum esse si sæpe Romam magnus fieret concursus tum vel maxime, quod non raro per totam Italiam præcones præcurrerent convocatum quosvis ad ludos, quos nec spectasset quisquam nec spectaturus esset. Verum quicquid sit recte HORATIUS:

*Si foret in terris rideret Democritus, seu  
Diversum confusa genus panthera camelo,  
Sive elephas albus vulgi converteret ora:  
Spectaret populum ludis attentius ipsus,  
Ut sibi præbentem miraspectacula plura.  
Scriptores autem narrare putaret a sello,  
Fabellam surdo. Nam qua pervincere voces  
Evaluere sonum referunt qua nostra theatra?  
Garganum mugire putes nemus aut mare Thuscum:  
Tanto cum strepitu ludi spectantur & artes  
Divitiæque peregrina: quibus oblitus actor  
Quam stetit in cæna, concurrat dextera levia.  
Dixit adhuc aliquid? Nil sane. Quid placet ergo  
Lana Tarentino violas imitata veneno?*

Epistol.

II. 1. 7.

194.

Epistol.

VII.

Horatio clarius de his spectaculis locutus est SENECA, qui nihil ijs perniciosius reperire posse existimat: quippe turba omnis utique animo gravis & noxia; nec enim quos extulisti mores unquam referes, nemo non rubiginis aliquid aut imprimit aut nescientibus allinit. *Inimica est, inquit, multorum conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit aut nescientibus allinit. Utique quo maior est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est. Nihil vero est tam damnosum bonis moribus, quam in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia surrepunt. Quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior, luxuriosior? imo vero crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* At nonne, inquiet aliquis, conceditur mortalibus quies, ut alacriores postmodum ad labores redeant; sic enim & somnus homini datus, ut spiritibus relictis ad divina opera habilior vegetiorque reddatur. In negotio vero lusus veluti laborum condimentum admittitur. Hæc ita se habent, sed de illis ludis intelligenda, unde nihil mali addiscimus & qui exiguo durant tempore: spectacula hæc, quæ sæpius redibant multosque durabant dies, otii perniciosi plena erant & plane talia ut à Seneca describuntur. Otio languescit industria, hebescit ingenium, vitia crescunt, scelera prorumpunt, animi status opprimitur & flagitiorum omnium bellum inexpiabile conciliatur. Sed pergo. Solebant etiam Romani missilibus, congiariis & publicis conviviis populum pascere & in urbem trahere. *Sparsa inquit SÆTONIUS, & populo missilia omnium rerum per omnes Neronis dies singula quotidie millia. Avium cuiusque generis multiplex penus, tessera frumentaria, vestis, aurum, argentum, gemma, margarita, tabule pictæ, mancipia, iumenta atque etiam mansæ a fera, novissime naves, insula, agri.* De tesseriis

ris infra dicemus. Congiarium vas cauponarium conglu-  
nii capax: inde docti asserunt, conglu-  
nium pro munere seu  
sportula sumi coepisse, quæ dabatur diurni cibi nomine cli-  
entibus, comitibus, affeclis. Augustus conglu-  
nium sæpius  
dedit tricenos & quadragenos, nonnunquam singulis quin-  
quagenos & ducentos nummos & ne parvos quidem pue-  
ros præterit. Nero ut alios prætermittam plebi conglu-  
nium quadragenos nummos dedit. Ad epulas publicas quod  
attinet, fuerunt. illæ non apud Romanos tantum post tri-  
umphos, post sacrificia vel spectacula, sed apud Lacedæmo-  
nios etiam & Athenienses in Prytanæo, Panathenæis, &  
Thesmophoriis usitata. Scribit Xiphilinus M. Antonio Im-  
peratorem ex Africa domum redeuntem octo aureos in  
cœnam viritim dedisse, quantam summam antea nunquam  
acceperant Romani. Verum de his & aliis, quæ ad magni-  
tudinem Romanam spectant nihil doctius Clarissimi Lipsii  
scriptis,

## CAPUT XX.

*De urbibus, quæ aario student.*

Quæ admodum corpus physicum sine nervis & artibus,  
sic nec Respublica, quæ est corpus civile sine pecunia  
consistere potest. Bonæ & pecunias nervos civitatis esse tes-  
tatur ULPIANUS: quod idem Mutianus dicere solebat. Et l. r. §. in  
LEO Imperator *pecuniarum vim rempublicam stabilire tra causa de*  
dit. *Impossibile enim est, ut sacris tributis non illatis Respu- quæst.*  
blica conservetur. *Militares namque copiæ adsignat sibi sa. Novell.*  
lario inde percepto, *hostibus resistunt, ut collatores à barbaro- CXLIX.*  
rum incursionibus & truculentia vindicent, denique agros at- cap. 2.  
que civitates à latronum alioque modo incompositam vitam  
sectantium vi & irruptionibus agendis excubiis defendunt.  
Ex illis etiam reliquæ cohortes, ea quæ ipsis attributa sunt, ac-

*cipiunt, muri atque civitates indidem instaurantur — ut quæ ab illis contribuuntur, partim in ipsos, partim propter ipsos insumantur & impendantur. Nobis autem profus nihil inde præter istarum rerum curas habere contigit.* Quare cum Nero initio sui principatus omne genus vectigalium populo adimere vellent, prudentiores id (laudata nihilominus principis clementia) vetuerunt, quod dicerent id publicæ obfuturum utilitati. Et quamvis rata habita fuerint generaliter omnia, quæ à Sylla bellis civilibus Romæ vel in provinciis gesta fuissent, unum tamen hoc illius Scitum reprehensum, quò vectigalia populo remittebantur, decretumque, ut quibus ille de capite demisset, ij pecunias in ærarium referrent. Censuit enim Senatus id, nec ei permissum, cui omnia concesserat, à populo partiarum quasitarumque rerum, quibus Respublica pace & bello salva est, summas imminuere. Civitati duo à civibus debentur: *opera & pecunia*; opera versatur in honoribus gerendis & muneribus publicis obeundis. Pro officio & pietate erga patriam debentur vectigalia, tributa & si quæ sunt aliæ publicæ pensationes, velut ex contractu pœnæ maleficiorum, quæ ad vindictam criminis constitutæ sunt. Hæ enim non privatis sed Reipublicæ exsolvuntur, tanquam contractis maleficiis, cum Reipublica contractum sit. Nam & maleficia contrahi dicuntur. Verum duo hic tamquam scopulos vitanda moneo. Unum ut novarum urbium conditores civibus, quos ad se pellices re conantur, primis annis graves non sint, quin potius ipsi omnis generis tributa & vectigalia remittant, ut majori concursu adveniant & magnificentius ædificare possint; Alterum ut etiam in urbibus antiquioribus vectigalia & tributa tam ordinaria quam extraordinaria moderata sint, & extraordinaria cessante necessitate remittantur, ne, quæ ex  
lacy.

lacrymis & gemitu exinanitorum subditorum extorta ad magistratus voluptates convertantur. Si quæ etiam vectigalia nova ab antecessoribus imposita reperiuntur, ea remittere boni principis signum est: Inperator Pertinax vectigalia omnia, quæ ad exquirendas pecunias tyranni excogitaverant, penitus remisit. Reddunt nimis istæ exactio- nes urbes provinciasque desertas, subditos miseros, effera- tos desperatosque, unde rebelliones & bella civilia. Nihil aliud, ait Cicero, nisi imperata nova tributa audivimus, possessiones omnium venditas, civitatum gemitus, plora- tus, monstra quædam non hominis, sed feræ nescio cuius immanis. Hæc ideo à me dicuntur, ut Principes ab ijs dili- genter sibi caveant, qui novas subinde à subditis extorquen- dæ vel conquirendæ pecuniæ strophas excogitant: quibus quorundam adeo invigilat malitia, ut potius ad opprimen- dum quam ad relevandum populum nati videantur; quan- to satius esset in id summo studio eniti, ut ærarium bonis artibus partem conservaretur potius, quam novis tributis augetur? Nè res eò tandem perveniat, quo olim, ut etiam pro umbra vectigal exigatur.

*Quis non iure miretur, ait PLINIUS, arborem umbra gratia tantum ex alieno petitam Nat. hist. orbe? Platani hæc est, per mare Ionium in Diomedis insulam XII. 14 eiusdem tumuli gratia primùm inventa, inde in Siciliam transgressa atque inter primas d. nata Italia, & iam ad Mori- nos usque pervecta, ad tributarium etiam pertinens solum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. Quod si omnimodo necessitate urgente nova imponenda civibus onera, non frumento, non lignis, non carbonibus, non telæ communi, non denique ijs rebus imponenda, quibus pauperes vitam necessario sustinent & quibus carere non possunt; sed ijs potius quæ ad voluptatem & luxum parantur, veluti seri-*

cis, aureis argenteisque telis ac pannis exoticis gemmis, vinctis, aromatibus & aliis, quibus inopes carere possunt, ut Marcus & Commodus rescripserunt. Porro solebant olim Imperatores, Principes ac populi, qui novas statuebant urbes præter agros vicinos, quos privatis & præter loca, quæ templis, foris, theatrisque constituendis distribuiebant, possessiones quoque & agros, pascuaque publica omnibus civibus æque communiter tuendæ & conservandæ Reipublicæ causa assignare, quæ privatis locari consueverant, ut eorum canone, ut hodie loquimur, pecuniæ in ærarium publicum cogerentur. Romulus agrum Romanum in tres partes divisit, quarum unam sacris faciendis, secundam Reipublicæ oneribus subeundis, postremam civibus æqualiter assignavit.

## CAPUT XXI,

*De urbibus, quæ annonæ prudenter curam gerunt.*

**A**Nnonam curare quanti apud Romanos fuerit vel ex unica D. Aureliani epistola conijcere licet, qui cum panis Romæ ponderi unciam unam addidisset de Ægyptio ve-

*In vita* stigali ad præfectum annonæ urbis ita scripsit referente FL.  
*D. Au. Vopisco:* *Inter cætera, quibus diis faventibus Romanam*  
*rel., c. 47* *Reipublicam iuvimus, nihil mihi est magnificentius, quam*  
*quod additamento uncia omne annonarum urbicarum genus*  
*iuvi. Quod ut esset perpetuum navicularios Niliacos apud*  
*Ægyptum novos & Roma amnicos posui. Tiberinas extruxi*  
*ripas: vadum alvei tumentis effodi, diis & perennitati vota*  
*constitui, almam Cererem consecravi. Nunc tuum est officium*  
*elaborare, Arabiane iucundissime, ne meæ dispositiones in*  
*irritum veniant. Neque enim populo Romano salvo quicquam*  
*potest esse latius, Parum admodum leges & sanctiones, pa-*  
*rum propugnacula, parum milites juverint, si populus in-*  
*dia la.*



dia laboret. Populum famelicum non arma, non magistratus, non leges, non pudor coercere valet. Idcirco in omnibus bene constitutis Rebus publicis magna cura semper adhibita fuit, ut popul<sup>9</sup> omni genere victus sed frumento præcipue abundaret: ad quã rem Præfecti annonæ creati, quos Veneti hodie *Provisores* vocant. Hi suo tempore frumentum ad vehendum curant vili pretio, ut eodem valore civibus, ubi opus, vendatur: dant operam, ut frumenta locis idoneis posita conferrentur, nec ex urbe exportentur, nisi in magna abundantia. Hi pretia rebus imponunt, ne ad voluntatem venditorum care nimis distrahantur: hi denique in Dardanarios animadvertunt, qui annonam in sua horrea avehant, mensuras & pondera falsant, legibus constituta pretia excedunt, undique frumenta cœemta supprimunt *ad annonæ incendium*, ait Quintilianus, id est, ut annonæ augeatur pretium, ingravescatque caritas. Erat autem Annonæ Curatorum munus olim perquam honorificum. Nam suos habebant apparitores, quibus mensura ex ligno vel plumbo adsignata erat, quã quantum cuilibet frumenti ex publicis horreis dari debebat, distribuiebant. L. Minutio, quod magna cura populum fame levasset, extra portam Trigeminam stipe à populo collata statua posita est. *Si ad hanc mensuram*, inquit CASSIODORUS, *consenda sunt dignitates, ut tanto quis honorabilior habeatur, quanto civibus profuisse cognoscitur, is certe debet esse gloriosus, qui ad copiam Romani Populi probatur electus. Tui siquidem studij est, ut sacratissima urbi præparetur annonæ, ubique redundet panis copia & tam magnus populus tanquam una mensa satietur. Per officinas pistorum ciborumque discurrens, pensum & menditiam panis exigis, nec vile iudicas esse, unde te possit Roma laudare merito, quando gloria singularis est illius civitatis affectus*

fectus. Et, ne quocumque, aliquid putetur extremum, carpe-  
 tum praefecti urbis iuxta glorificatione conscendis: tu illi in  
 spectaculis coniunctisissimus inveniris, ut plebs, quam indu-  
 stria tua satiat, in suam reverentiam te honoratam esse cogno-  
 scat. Nam si querela panis, ut assolet, concitetur, tu promif-  
 sor ubertatis seditioes civicas momentanea satisfactioe dis-  
 solvis & per te prospicitur, ne quid à populis conqurentibus  
 excedatur. Non immerito Pompeius fertur copia quantitate  
 provisa usque ad rerum pervenisse fastigia: quia merito singu-  
 laris est author populi, cum potuit à penuria liberari. Hinc ille  
 gratificationem meruit, plausumque populorum. Hinc unice  
 semper amatus est & in gratia civium omnium vicit facta  
 maiorum: qui ne aliquando in honore diceretur cum nominis  
 taxatione vocabatur & Magnus. Et paulo post: Considera  
 nunc, quia non licet aliquid furari de populo. Nam quod in  
 civitatis damna committitur, silentio non calatur. Nescit  
 plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod à nemine  
 perpetratur. In fraudulentos distringe gladium: panis ponde-  
 ra aequus examinatore intende, sollicitius auro pensetur, unde  
 à Quiritibus vivitur; quia gratior nobis est latitiae faventis  
 Populi Romani, quam copia pretiosissimi metalli. Coeterum  
 in flagellanda annonae nihil fraudulentius, nihil iniquius  
 monopolis, cum penes unum tantum alicujus rei venden-  
 di potestas est, vel si inter mercatores conveniat, ut certa  
 pretii taxatione solum vendant non minori, vel si inter eos  
 conveniat, ne ex alterius municipiis incolae frumentum,  
 vinum, vel alia in urbem deferant, donec illi suum magno  
 pretio vendiderint: qua ratione plebs ab aliis viliori pretio  
 quid emere impeditur. Unus tamen est casus, quo licite an-  
 nona oneratur: si nempe Respublica magnam frugum  
 quantitatem comparaverit in populi gratiam, quae tamen

tota distrahi non potuit. Nam ne publicum frumentum vetustate corrumpatur, possunt compelli cives, ut partem frugum licet vetustarum emant, ne diligentia Reipublicæ dispendio sit. Ita enim Valentinianus & Valens caverunt, ut frumenta vetera primum, deinde nova veneant & si forte corrupta sint, ut novarum admistione veterum vitium corrigatur.

## CAPUT XXII.

*Deijs, qui diversa oppida in unum contrahunt,  
vel vicinas urbes diruunt.*

**S**cribit PLUTARCHUS, Theseum Athenienses sparsim & *in vita*  
vicatim habitantes in unum locum coëgisse, omnibus *Thesei,*  
Prytanæis dirutis unum constituisse, unamque urbem A-  
thenas nimirum. Ipse se populo æquavit, legum custodem  
bellique arbitrum se fore professus. Diodorus Siculus au-  
thor est, Eleos diu in multis urbibus dispersos in unam de-  
inceps ex omnibus commigrasse, quam tanto concursu  
amplissimam Elim nominarunt. Epaminondas post Ley-  
ctricam victoriam Arcadibus author fuit, ut exiguis illis &  
minime munitis oppidis, quæ habitabant, deletis in unum  
locum commode situm, quem postea habitarunt, conve-  
nirent, quæ urbs Megalopolis vocata est ut refert PAUSANIAS. *In Are*  
LIVIVS prolixè historiam Albanorum in urbem Ro- *cad.*  
mam traductorum describit, quæ ex Albæ ruinis adeo cre- *Hist.*  
vit, ut civium numerus duplicatus urbi mons Cælius addi- *Rom. 1.*  
tus fuerit.

*Fecisti patriam diversis gentibus unam,  
Profuit invitis te dominante capi.*

Pragenfes posterioribus seculis, ut uniti potentiores essent,  
duas in unam civitatem conjunxere, fossas complanavere,  
portas referavere, & sic urbem duplo majorem potentio-

remque reddidere. Helvetii ante istos oppidis suis duodecim incensis iter capiebant per Romanorum provinciam sicut olim Cimbri & Teutones, quibus necedere eos apparerat & numero erant usque ad trecenta millia, ex quibus arma ferebant ad centum nonaginta millia, ut urbes aliquas in meliori solo statuerent, vel auferrent, quas magnas futuras non est dubium, nisi Caesar impedisset illorum conatus. Adelbertus cognomento *Vifus* Orientalis Sclavoniæ dominus, profligatis oppressisque Sclavorum contumacibus ad Havelam Albinque degentibus Hollandos, Flandros ac Rheni accolas substituit, quibus urbes & oppida incolenda dedit: horum concursu Brandeburgicus & Havelbergensis Episcopatus plurimum incrementi acceperunt, templorum præterea decimarumque numerus inde inmensum excrevit. Florentini Felulas, quas aperta vi nunquam capere potuerant anno millesimo quingentesimo decimo per inducias occuparunt, atque oppido everso cives omnes Florentiam traduxerunt, & junctis opibus ex duabus urbibus unam fecerunt, idque sine dubio Florentinæ urbis, quæ post id maxime floruit, initium potentia fuit. Pari ratione ex cineribus Augustæ Rauracorum Basilea obscurum tunc oppidum aucta est.

### CAPUT XXIII.

#### *De urbium legibus & politica.*

**C**ivitatem octo partibus constare Philosophi docent. Primam attribuunt matrimoniis, ex quibus liberi homines nascuntur & sine quibus civitas consistere nequit. Secundam agriculis, à quibus alimenta parantur. Tertiam mechanicis, sine quibus civitas non est sufficiens. Quartam forensi multitudini, quæ circa emendum vendendumque aut circa mercaturam & numulariam artem versatur, unde pe-

de pecuniam trahimus ad usum quotidianum & bellum. Quintam mercenariis, qui mercede conducti opera civitati civibusque necessaria atque utilia præstant. Sextam armis & militibus, quibus magistratui obedire compellimur & externa propulsamus. Septimam & præcipuam cultui divino. Octavam & summè necessariam magistratibus; nam sine politia & legibus nulla civitas consistere potest.

Hactenus satis ut opinor de septem prioribus capitibus licet alio ordine diximus: restaret, ut de postremo nempe de magistratibus & legibus aliquid diceremus, nisi id peculiarem requireret tractatum, quo variæ regendarum urbium formæ exponerentur & cuique formæ leges adcommodarentur, quod nostri nunc non est instituti, quum urbem legibus bene formatam præsupponamus & cæteras hic tantummodo ejus magnitudinis causas investigemus. Nihilominus ne rem tantam sicco pede transisse videamur, nonnulla addemus, quæ magistratibus sequenda vel vitanda. Cum itaque civitates vel unius nutu regantur, vel paucorum vel plurium, id est, cum earum imperium vel penes principem sit vel optimates vel populum, sciendum est, primum caput esse, nosse speciem Reipublicæ, quam quis curandam suscepit. Ineptum enim esset, in regno leges Aristocraticas vel Democraticas observare, aut contra. Non minus quam si magno colosso pigmæi vel pumilioni caput ingentis Polyphemi aptare veller. Aliter cum ijs, qui servituti adsuæti & aliter cum libero populo agendum. Si urbs, quam fingimus sub unius sit imperio ea ego Rectori tenenda censeo, quæ in Principe meo docui. Si status sit popularis ad libertatem respiciendum, libertatis pars in eo consistit, ut per vices imperent & partant. Est igitur populare sumere ad magistratus omnes ex omnibus

ac præesse omnes unicuique & diversa ratione unum omnibus. Populare est officia illa, quæ peritiam nullam requirunt aut artem, sorte interdum distribuere: populare est, ne magistratus nec sæpe nimis nec diu nimis ab eodem generatur: populare est, judicare omnes de omnibus vel ex omnibus vel de plurimis & maximis & præcipuis: populare est, ut populus superioribus omnibus Comitibus consiliisque intersit & de ijs sententiam ferat: populare denique est diligenter cavere, ne quis inter eos emineat aut populo nimium placere studeat, quæ ratio Ostracismi olim fuit apud Athenienses. Porro in Aristocratico statu illud summe cavendum, ne ex optimatibus aliquis vel etiam ex plebe imperandi cupidus emergat, qui plebem in optimates armet ac se ducem profiteatur: quod facile fit, si plebs & tenuiores sese vel in tolerandis oneribus & tributis confectos, vel æris alieni magnitudine oppressos, vel agrum & totam regionem in paucorum possessionem transisse querantur, aut magistratus & honores maximi sædissimis & turpissimis hominibus tribuantur, virtute præditi autem vel bene de Republica meriti excludantur; qua re ad inflammandam plebem nihil fortius & validius. Aristocratia finis paucorum plerumque divitiarum; nam divitiis stat, divitiis custodes alit, sumtusque cæteros necessarios facit, quo populo fidere non cogatur, ut commune hoc sit ei cum tyrannide, subditis non fidere, arma eis adimere, plebem conculcare, ex urbe pellere & civitatem non raro habitatoribus vacuam reddere. Populi vero finis est sæpissime nobilitatem temnere, vexare, clam evertere & palam in exilium mittere tanquam adversarios libertatis & plebis hostes. Qua in re prudente rectore opus est, qui æquo jure utramque factionem

reti-

retineat & inprimis in otiosos diligenter animadvertat, qui Reipublicæ perniciosi sunt; bonorum enim indultriæ invident, aliena appetunt, & rebus semper novandis student. Audio Antvverpiæ centores constitutos, qui in otiosos animadvertant, eosque vel ad opificium aliquod cogant, cui revaria destinata domus, vel urbe pellant, ut sic civēs & advenæ à turpi otio ad honestas artes & Reipublicæ utiles avocentur, qua re vix quicquam urbibus utilius excogitari potest. Id institutum ab Ægyptiis tractum videtur, apud quos legem fuisse ajunt, qua singuli civēs nomina sua magistratui dare cogebantur & simul indicare, quo genere vitæ uterentur; qui vel mentiri vel otiosam degere vitam deprehenderetur, severe castigabatur.

## CAPUT XXIV.

*De urbibus nonnullis, quæ ad summam magnitudinem pervenerunt.*

**A**Tque hæc quidem ea sunt, quæ de causis magnitudinis urbium, hoc tempore in mentem mihi venerunt. Restat ut coronidis loco urbes nonnullas describam, quæ structuræ amplitudine, ædificiorum magnificentia, populi frequentia, mercaturæ ubertate, diversarum gentium concursu præ cæteris admirabiles maxime sunt vel fuerunt. Atque ut à Ninive Assyriorum metropoli principium ducam, tantæ eam amplitudinis fuisse scribunt, ut atea tantum quadringenta & octoginta stadia habuerit, moenia centum pedum altitudinem, adeoque ampla, ut latitudinem ternis plaustris æquam darent: in moenibus turres mille & quingentæ, quarum altitudo ducentorum pedum; Tetrapolis idèò dicta, quod in quatuor partes divideretur, Ninum, Resenam, Forum & Calem.

Babyz

Babylon Chaldaicarum gentium caput in campo jacens sexaginta passuum millia amplexa muris ducenos pedes altis fuit, quinquagenos latis, in singulos pedes ternis digitis mensura ampliore quam nostra, mirabili opere constructa interfluo Euphrate. Ferunt ei plebis urbana DC millia esse, agrum habere totius orbis fertilissimum; ejus olim vastitatem hoc probat argumento Aristoteles, quod captam quandoque ad hostibus tertio demum die vix perfererint, qui in ultima habitabant parte.

Memphis quam hodie Cairum vocant vasto ambitu tres ingentes urbes complectitur atque ad triginta millia domorum habet, ita ut de hac urbe scribant, eam Lutetiam Parisiorum magnitudine quinquies superare: peste grassante mortui ibi sæpe ad viginti millia hominum uno die; in longitudinem sex milliarium Italicorum secundum Nilum protenditur, latitudinem decem stadiorum statuunt.

Romam autem scriptores urbium dominam & reginam, imo totius orbis caput appellare non sunt veriti.

*Omnia Romæ cèdent miracula terra,*

*Natura hic posuit quicquid ubiq; fuit,*

III. 22. canit PROPERTIUS. Regionibus quatuordecim olim dividebatur, portas suburbanas & urbis in universum  $xxiv$  fuisse refert Plinius. Livius autem  $xxxvi$  ponit imperio florente: turres circa urbem visebantur  $ccccxv$ , nunc turres  $cccxv$ , portæ  $xx$  supersunt. Sub Vespasiano urbis ambitus fuit  $xiii$  millium &  $cc$  passuum septem complexus montes. Non desunt, qui Romam *totius orbis compendium* dixere, in qua omnes civitates intueri liceat.

Romæ æmula Carthago armis, splendore, fortitudine, di-



ne, dignitate, x x i i millia passuum complectebatur & tota fere mari & lacubus cingebatur. Illic omnia publicorum officiorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum vel morum gymnasia: illic copiarum militares & regentes militiam; illic honor proconsularis, illic denique omnia, ut quæ totius Lybiæ insularum domina erat.

Non minora de Lutetia dici possunt: templa habet LXIIX, monasteria x x i v, xenodochia i x, sacella x i v, portas x i v, pontes v, suburbia x, tantumque concursus, ut sæpe quinquies centena millia hominum numerata sint & sint amplius.

Huc Londinum & Olysipto referri possunt, urbes maximæ & amplissimæ, quæ cum quibusvis hominum numero, ædificiorum magnificentia, templorum copia, mercimoniis & amplitudine certare audent.

Quid de urbe Venetiarum dicam Italiæ totius ornamento, quæ in mediis aquis confidet, quot in ea templa, quot monasteria, quot magnificentissima ædificia, quot hominum millia in ea recenseri possunt? ut non immerito de tanta urbe hoc epigramma circumferatur:

*Viderat Adriacis Venetam Neptunus in undis*

*Stare urbem & toto ponere iura mari:*

*Nunc mihi Tarpeias quantumvis Iuppiter arces*

*Objice & illa tui mœnia Martis, ait:*

*Si pelago Tybrim præfers, urbem adspice utramq,*

*illam homines dices, hanc posuisse Deos.*

De Hispali-Baticæ provinciæ urbe scribunt eam ambitu magnam, visu pulchram, forma rotundam, templis celebrem, sacerdotibus excultam, multis equitibus nobi-

lem, civibus plenam, domibus insignem, hortis & fontibus amœnam, mercimoniis divitem, artibus mechanicis adornatam; quid multis? dignam illo proverbio: *Hominibus, quos Deus amat, Hispani domum largitur & victum: Sevilla* nunc vulgo vocatur. Verum habemus & nos urbes in Germania, Gallia, Italia, quicquid Hispani scribant, urbes & ampliores & magnificentiores, & amœniores & populosiores, quarum nonnullas nominabo; nam eas describere nimis foret prolixum: Antverpiam, Amstelredamum, Bruxellas, Magdeburgum, Augustam Vindelicorum, Noricum, Vratislaviam, Monacum, Argentinam, Basileam, Florentiam, Genuam, Mediolanum, Neapolim, Lugdunum, Rothomagum, Tholosam, ut alias innumeras omittam, quas à multis diligenter descriptas invenies. Unam subjungam Chinæ metropolim & finem faciam: *Quinsai* vocant, de qua incredibilia scribunt. Ajunt enim ambitu centum milliaria continere, pontes habere duodecies mille, eosque tam altos, ut magnæ aves erecto malo transeant: lacum intra mœnia circuitu 30 milliaria continere, in medio lacu duas insulas; plateas omnes urbis lapidibus stratas esse, tria thermarum millia in urbe, familias ad sexcenties mille, in quolibet ponte perpetuo excubias agere decem custodes, palatium regium suo ambitu decem milliaria complecti. Sed & alia quamplurima de hac urbe scribuntur, quæ fidem superant.

F I N I S.



